Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Peter Ludewig von

Jo. Petri De Ludewig, Ic. Regim. Ducat. Magdeburg. Et Ill. Fridericianae Cancellarii. Differentiae Juris Romani Et Germanici : Secundum Ordinem Institutionum Justiniani Imp. Concinnatae

Lemgoviae: in Officina Meyeriana, 1778

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

K. K — 3 (79.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0003
DFG

JO. PETRI DE LUDEWIG, IC.
REGIM. DUCAT. MAGDEBURG. ET ILL. FRIDERICIANAE CANCELLARII.

DIFFERENTIAE JURIS ROMANI ET GERMANICI

SECUNDUM ORDINEM INSTITUTIONUM JUSTINIANI IMP. CONCINNATAE.



Lemgoviae,
in Officina Meyeriana.
M DCC LXXVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0006
DFG



AD LECTOREM
PRAEMONITIO.

Varia quidem hactenus methodo in tradenda juris prudentia privata usi sunt doctores, quarum quaeque commoda sua atque incommoda

 habet,

habet, ceu ab aliis, imprimis ab ill. Hommelio in Litteratura juris, *est ostensum: Ludewigio tamen ea placuit, quae differentias Romani atque Germanici juris ostenderet.*

Quis fuerit Ludewigius, cuilibet satis notum est, neque incognita magna ejus in omnes juris, quo regimur, partes, quare nihil de iis in praesentia monemus, verum in rem potius praesentem venire constituimus.

Magnum opus moliebatur vir merito suo magnus, commentarium nempe ad Justiniani Imp. Aug. Institutiones, *quo non solum illas ex Romanorum principiis explicare, verum*

rum etiam usum hodiernum ostendere, differentiasque utriusque juris ob oculos studiosorum ponere volebat. Specimen ejus rei dedit observationes ampliores ad institutionum prooemium, quae sub titulo Vitae Justiniani M. atque Theodorae *Halae, prodiere, nihilque magis dolendum, quam quod & hoc opus ab auctore imperfectum relictum sit, quamvis super singulis materiis satis amplas conscripserit, quae partim in* Opusculis miscellis *recusae exstant, partim collectorem requirunt. In praelectionibus interim, usque dum ipse commentarius prodieret, cum auditoribus suis breves communicabat explicationes, quas in sermone uberius*

deducebat; & haec sunt, quae jam publice exhibemus legendas, easque tyronibus utiles esse posse, non sine ratione adfirmamus. Scrib. d. 25. Aug. 1777.



DIFFE-

DIFFERENTIAE

JURIS ROMANI

ATQUE

GERMANICI.

PROSCENIUM.

§. 1.

Germania noſtra triplici aut quadruplici jure regitur, 1) Germanico ſeu jure patrio, 2) canonico, 3) Romano, 4) miſcellionibus forenſium atque practicarum opinionum.

§. 2.

Hinc illa confusio ac perturbatio, immo difficultas & nausea juris prudentiae forensis. Neque his incommodis alia medela adferri potest, quam distinctis & sejunctis horum diversorum principiorum rationibus. Atque idem hic ille finis nobis propositus est in hoc collegio.

§. 3.

Ut vero etiam de subsidiis constet, huc facientes auctores indice digito notandi. In humaniori, i. e. Latii, juris prudentia referri debent Balduinus, Hotomannus, Vinnius, aliique, quibus triga addi debet eorum; quos junctim edidit Trajecti 1714. Walterus.

§. 4.

Inter commentatores, qui juris Germanici singularem rationem habent, primo loco nominari debet Paullus Voetius, ex nostratibus Schilterus, Schulzius, Hoppius, alii: verum parum est, quod praestiterunt, quum plura supersint ab iis neglecta, neque forte intellecta, quod latuerint illa in patrii juris diplomatibus & codicillis.

§. 5.

Ultimum genus eorum sit, qui in Institutionibus sub inde provocare solent ad opiniones communes & praxin, quo fine cumulare solent auctores fere immensos. In hac classe eminent

nent Schneidewinus, Manzius, Martini, Philippi, qui ultimus aliis est luculentior.

PROOEMINIUM.

(*Institutionum*). Luculentius exprimere solent hunc titulum alii nominibus *Catecheseos*, *Epitomes*, *Elementorum*, cet. Sed quum Institutionum verbo utantur Latini auctores, & ante Justinianum Cajus: nihil potest hic desiderari. In jure Germanico Institutiones desideramus, quoniam patria jura Germani non tractarunt in scholis, verum in curiis atque usu fori. Hodieque id fit in Anglia, Polonia, Belgio, non tamen sine magna difficultate. Ceterum illud requiri potest, utrum consultum sit, Institutiones confici ab imperante, quum potius haec pars sit interpretis ac doctoris.

(*In nomine.*) Est problema juris forensis, utrum hac formula opus sit in instrumentis publicis? Nam *Recess. imp. de a.* 1512. illud praecipere videtur, ut hoc in mores iuerit advocatorum. Sed mea sententia in jure Germanico hoc non solum absurdum est, sed & blasphemum. Primum dico ideo, quoniam tempore Institutionum confectarum cavenda fuerat suspicio Arianismi, quae hodie cessat; atque parum commode huc trahitur *Novella* 147. Ultimum ideo, ne nominibus Dei & Christi temere uteremur in rebus flocci

& nullius momenti. Dictum de crucis signo, quod instrumentis ex eadem caussa tempore Institutionum fuerat adpositum, quo merito in jure Germanico abstinemus.

(*Caesar*). In nominibus imperantium illud singulare est, quod ipsi etiam Graeci in oriente verba & schemata Latina adoptaverint. Principio quidem Graecorum, princeps se scripsis *imperatorem*, postea nomen βασιλευς, extenderunt ad significatum ipsius imperatoris, ut alii principes tantum audierent reges, quam vocem evitarunt jura Latii. Hinc etiam imperatoris suffectus sive adjunctus audit *Caesar l. 7. C. de malefic. & mathemat.* non vero rex Romanorum. In jure Germanico vocabulum imperatoris non habemus, sed tantum Caesaris (*Kaiser*), deinde imperatorem speratum dicimus *Koenig*; illum autem, qui fuerat in societate imperatoris imperiique, coimperatorem. Ceterum illud singulare est, quod quum Caesaris verbo neque Franci, neque vetustiores Germani usi sunt, illud nomen tamen civitate Germanica sit donatum.

(*Flavius*). Fuerat hoc nomen orientalibus imperatoribus in memoriam Flavii Vespasiani admodum solemne, ut putidus sit error glossae, Justinianum a flavis capillis ita dictum esse. In jure gentium, si pontificem & reges excipias, per universam Europam minus est usitatum, nomina in baptismo aut confirmatione accepta mutare.

(*Justi-*

(*Justinianus*). Hoc nomen ipsi venit a Justino antecessore, qui eum adoptaverat. In nummis hac caussa conspicitur elementum I. sub forma columnae aut sustentaculi crucis. Jure Germanico non opus est adsciscere nomen patris adoptantis.

(*Alamannicus*). Moribus Latii haec verba, adiicialia propter reportatas victorias tributa sunt non solum principibus, sed etiam ducibus belli. Sed in jure Germanico in stilo curiali hoc non fit, sed ut potius haec verba denotent dominatum in diversis provinciis, immo etiam jura ad provincias vel amissas, vel numquam occupatas, sed impediendam praescriptionem, quo fine principes etiam addere solent formulam: *& cetera*; ne omissa haberentur pro neglectis.

(*Francicus*). Etiam Francos nexum feudalem adgnouisse imperii orientis, ostendimus in *vita Justiniani M.*

(*Anticus*). De hisce populis consulator *vita* nostra *Justiniani*. Interim interpretibus ea in re exemimus crucem, quod imperator hos titulos temere adfectaverit. Reponimus quinquaginta populos devictos imperatori non sufficere, ut adeo parum sit quod horum tantum mentionem faciat. In Germanorum institutis hoc non reperitur, sed potius tituli adaugeri solent pro numero provinciarum. Quod tamen communi opinione serius factum est

est a temporibus Caroli IV. Hodieque nihilo minus rex Galliae & duces Brunsuicenses in alia eunt, neque novis adquisitis provinciis earundem faciunt mentionem.

(*Pius*). Haec schemata Romanis imperatoribus olim decreta SCtis ob bene merita eorum, sed postea degenerarunt in stilum curialem, ut adeo cesset in multis significatus grammaticus. Idem in Germania aliisque regnis fit, unde caussam Christiani imperatores habuerunt retinendi haec schemata curialia, ne Christianismo recepto aliquid dignitatis decessisse videretur imperio Romano. Accedit, quod moribus Germanorum ejus modi epitheta requisita fuerint ab indulgentia pontificum. Hodie in pejus abeunt principes Germanici, quod haec verba adiicialia vivi adoptent consilio adulatorum.

(*Salutem*). Est hoc omnino humanitati tribuendum augustissimi imperatoris, ut ad jurisprudentiae studium excitaret juventutem. Neque male, quum a juris Romani cultu pendeat imperatoris majestas & auctoritas. In jure Germanico formula paullo aliter concipi solet: *Unsern gnädigsten Gruss, und was Wir sonst gutes vermögen*, quod non dubie est significantius ob spem gratiae & indulgentiae principalis salutarem.

(*decoratam*). Inde esse solet juris problema, utrum officialibus militaribus indulgenda sit

sit praerogativa ante ordinem civilem. Illud verum est, quod cum in Romano, tum canonico jure clerici habuerint praecedentiam. Quod etiamnum observatur, *da allezeit in den Canzley-Titulaturen das Wort* würdige *vor* hoch- und wohlgebohrne *zu stehen pfleget.* Quibus institutis etiam utimur in nostris comitiis, *da die geistliche Bank zu der rechten*, quamvis in subscriptionibus episcopi electores sequuti sint. Verum quaeritur hic de ordine civili, qui pendet omnino a principis arbitratu & statu temporum. Hinc in jure Prussico praecedentiam habent milites, quamvis olim res se habuerit ex adverso.

(*iniquitates*). Hoc valde a scopo alienum, nam leges ab imperatore scriptae seu promulgatae peregrinas gentes nequidquam obligant, quae invicem potius utuntur jure naturae & gentium, non positivo. Interim hoc verum est, quod Romani etiam in bellis suscipiendis semper juris tegumenta quaesiverint ad palliandum belli causas. Unde Lipsius *de magnitudine imperii Rom.* ad illud paradoxon est lapsus, omnia bella Romanorum habuisse causae justitiam. Ceterum hodiernis moribus receptum est ne bella suscipiantur temere, verum semper promulgatis antea belli causis.

§. 1.

§. 1.

(*vigiliis*). Hoc imperator vere dicere potuit; nam teste Procopio vigilias traxit in seram noctem, & somnus illius vix trium horarum. In jure Germanico parum attendimus has formulas: *Wir haben mit Fleiss erwogen*, &. *Uns ist angerühmet worden*, & quae sunt ejusmodi, quarum princeps plerumque est ignarus.

(*sub juga*). Fallunt interpretes, qui ea in re imperatorem incusant thrasoniſmi. Nam contigit imperatori scriptor Procopius, in quo nihil potest inveniri, quod pertinet ad virtutem veri historici. *Anecdota* ejus enim facile se produnt studii partium & atrae bilis.

(*promulgatis*). Jure Romano id verum fuerat, nam omnes populi semel subacti secundum leges Latii vivere debuerunt, pauciſsimis instar privilegii exceptis, exemplo Gotorum, quibus licuit jure patrio uti. In jure Germanico illud receptum est, quod jus commune quidem subsidiarium sit, sed primo loco statutis inhaerendum. Quaestio dubia, num praesertim in delictis aliquis teneatur juribus loci, ubi delictum commissum, an vero juribus domicilii & originis? Ultimum obtinet in jure Germanico, sed praxis inclinat ad primum.

§ 2.

§. 2.

(*confusas*). Sed opposueris imperatorias tamen constitutiones ante jam collectas esse, & in ordinem Pandectarum a Theodosio, & paganas constitutiones ab Hermogene & Gregorio. Sed imperator respicit ad consonantiam, quam intenderit. Saepius in votis positum fuit, praesertim a Friderico & Maximiliano impp. *dass die alte Reichs-Satzungen zusammen getragen, und davon ein Gebrauch in Gerichten gemachet werden solle*; sed res haec semper caruit successu. Quae enim Goldastus, Hortlederus, Londorpius, & Lunigius collegerunt, & digessit Andlerus, illa privati instituti & dubiae fidei sunt. Excutiant nobis Galli pudorem, qui opera Brissonii & aliorum Basilica Galliae & Codicem ediderunt, ubi omnes regiae constitutiones digestae sunt secundum ordinem Codicis Justinianei.

§. 3.

(*magnifico*). Stulte agunt qui hunc titulum exprobrant Triboniano, nam idem hodie fit in ejus modi verbis adiicialibus in jure Germanico, v. gr. *hochgebohrner, vester, lieber, besonderer, getreuer.* Nam curiales significatus hic respiciuntur, nequidquam grammatici.

(*exconsule*). In Fastis quidem consularibus Tribonianus non reperitur: verum particula,

ticula, *ex*, denotat consulem honorarium. Idem in jure Germanico hodie fit *in denen so genannten Titular-Räthen*, aut quemadmodum in Franconia dicunt, *denen Extra-Räthen.*

(*antecessoribus*). Hoc verbo distinguere solent ICtos & jurium professores superiores a reliquis: Id vero requiri hic solet, num consultum hoc fuerit, juris capita administris status & professoribus committere. In jure Germanico mihi exemplum Saxonici legislatoris valde probatur, qui in jure Saxonico condendo adhibuit ICtos triplicis generis, 1) consiliarios, 2) professores, 3) praetores ac judices, quibus adderem egomet genus quartum, provincialium ordinum senatores.

(*fabulis*). Frustra Bynkershoekius substituit: *tabulis*. Licet enim tempore Julii Caesaris 12 tabulae expositae sint juris tironibus: hoc tamen nequidquam factum est tempore Justiniani, qui institutus est elementis Caji sui. In jure Germanico major nobis est ratio, quare ad pristina tempora in jure explicando respiciamus, quoniam res publica nostra tot conversiones non habuit, quae in rebus Latii adparent.

(*quadriennium*). Jure Romano praescriptum fuerat in cursu juris conficiendo quinquennium, immo etiam ordo, quem in academiis professores in docendis Institutionibus & Pan-

Pandectis obſervare debuerant, usque dum clauderent in Codice laborem. In jure Germanico etiam in Receſſibus imperii hoc ſpatium factum fuerat legitimum, poſtea contractum ad triennium, usque dum in Receſſu imperii noviſſimo temporis ratio ſublata in adſeſſoribus camerae imperialis conſtituendis, atque unice reſpectus habendus ſit profectuum in juris arte.

§. 4.

(*quatuor libros*). Partitio haec multarum ineptiarum mater fuit in eruendis ejus cauſſis; nam aliqui dilapſi ſunt ad quatuor elementa, alii redarguerunt imperatorem, quod aberraverit a rationibus methodi logices: ſed omnes errant. Nam, uti veteres uſu papyri caruerunt, ſic in partitionibus reſpiciendum fuerat ad libri quantitatem, non ad qualitatem, quod ex libri ſecundi fine, & initio tertii facile eſt ad intelligendum, quemadmodum etiam ex eadem cauſſa in Pandectis tres libri dati ſunt legatis. In jure Germanico dividendo non opus eſt attendere menſuram, verum ſufficit qualitas argumenti, prout illud eſt melius & amplius.

§. 5.

(*deſuetudine*). Saepius id in republica Romana evenit ob mutationem formulae imperii. In jure Germanico talis converſio non

evenit: unde priſtina inſtituta nobis admodum conducunt in patria juris prudentia.

§. 6.

(*Caji noſtri*). Dubitant plures, quo jure imperator Cajum *ſuum* vocet; ſed aperit cauſſam hiſtoria, quod ipſe imperator olim elementa juris didicerit audiendo. In jure Germanico illud dolendum eſt, quod principes imperii res publicas ſuas regant legibus Latii, & has tamen prorſus negligant & ignorent. Aliter Galli, qui principes juventutis inter alias artes inſtituere ſolent epitome juris, exemplo Emundi Merillii.

§. 7.

(*credendis*). Illud igitur in jure Romano certo certius eſt, quod omnes rerum adminiſtri juris prudentiae ſtudio fuerint imbuti. In jure Germanico dubitant, quod potius politices praeceptis imbui debeant, aut etiam juribus publico & feudali. Sed errant, quia tanta jurium Latii & Germaniae noſtrae hodie commixtio, ut, ſi jus Romanum deſit, vel docenti vel diſcenti opera omnis omnino perdatur.

(*D. C. P.*) In jure Romano imperator ſigla prohibuerat, atque ſub poena interdixerat notariis publicis uterentur, ne abbreviaturis ne ſcilicet legum ſenſus fierent ambigui. In jure Germanico habemus monogrammata imperatorum

torum, sed in legibus scribendis & codicillis id pariter fieri non solet in curiis & cancellariis, *da alle Abbreviaturen gleichfalls verboten.*

(*datum*). Jure Romano hoc receptum erat, ut locus scripti codicilli significaretur. Sed in jure Germanico in codicillis medii aevi duo verba adparent, *actum* & *datum*. Illud respexit principis jussum hoc tempus, quo codicillus in cancellaria scriptus fuit. In caussa Magdeburg. illud ostendi adversus caussae litigiosae advocatum Monasterienscm, qui ideo Ottonis M. diploma vocaverat in dubium, quod imperator eo tempore, quo istud scriptum erat Magdeburgi, in Italia absens fuerit.

(*Justiniano*). Olim annus adgnoscendus erat in jure Romano ex Fastis consularibus. Sed fastorum magna diversitas, quae tolli potest ea ratione, quod in fastos saepe irrepserint consules suffecti, maxime si consul ante finitum consulatum decessisset. Magnam lucem hic attulit Pagi in *Dissertatione hypatica*. Sed tempore Institutionum placuit imperatori, ut nomen ejus & annus regiminis accederent chronologiae. Demum fasti expuncti ex eo tempore, quo Barbari occuparunt Italiam. In jure Germanico multiplici usu sumus chronologia, 1) annis Christi, 2) regiminis imperatoris aut etiam

regis, immo 3) papae, quod didici ex diplomatibus Magdeburgici tabularii. Quod magis est, 4) ipsi principes Germanici adjunxerunt saepe in tempore definiendo annos sui regiminis. Sed ultima haec in jure Germanico nunc cessant, & solis notariis injunctum, ut mentionem in instrumentis facerent annorum imperatoris.

LIBER

LIBER I.

Tit. I.

(*pr. voluntas*). Haec definitio non est juris positivi, sed respicit integritatem moralem. In jure positivo, adeoque etiam Germanico, idem est velle ac nolle, dummodo actiones conformes sint normae legum, adeoque justitia est conformitas actionum cum lege.

§. 1.

(*divinarum*). In jure Romano verum fuerat etiam paganismo sublato. Hinc tituli Codicis plenissimi sunt rerum sacrarum, de trinitate, de fide catholica, de episcopis. Sed in jure Germanico semper sacerdotium ab imperio fuit distinctum, in paganismo aeque, ac Christianismo. Unde conjectura Monzambani non est inanis, clericorum dominatum facilius toleravisse Germanos in Christianismo,

quum in paganismo non minori religione coluerint Druidas & Bardos.

§. 2.

(*simplici via*). Supra diximus, in jure Romano imperatorem instar legis praecipere, ut in juris arte initium fiat a catechesi aut primis elementis, id est, Institutionibus, atque his demum intellectis procedatur ad Pandectas & Codicem. Eadem methodus etiam fuit in Germaniae academiis. Sed quum superiore saeculo Wesenbecius in *Paratitlis Pandectarum* eorum quoque egerit epitomatorem, tum problema est ortum, inter doctores, an non relictis Institutionibus statim audirentur & discerentur Pandectae. Rationis tegumentum hoc erat, quia in Institutionibus aliqui tituli desiderantur. Ceterum vivimus tamen hodieque methodo a Justiniano praescripta.

§. 3.

(*vivere*). Sunt haec praecepta philosophica magis, quam juris scripti, nam involuntario jure illud praeceptum satis est: superiori pare, & actiones legibus concinnes prode obsequio Honestas autem pertinet ad disciplinam moralem, & maximum est discrimen: inter justum & honestum, e. c. accipe testamenta revocabilia, licet testator jurejurando se obstrinxerit ultimam voluntatem non mutare.

§. 4.

§. 4.

(*publicum*). Jus Romanum jus publicum a populo denominat, respiciendo ad Latii statum popularem: in jure Germanico significantius dicimus *das Reichs-Recht* vel *Gesetze*, quoniam significamus regimen nostrae rei publicae.

(*dicendum est igitur*). Recte & consulte imperator, nam jus publicum Latii numquam recepimus in Germania nostra, licet de receptu juris privati a. 1495. publica lege constet.

Tit. II.

(*pr. docuit*). Ex principiis Stoicorum. In jure Germanico animalia habemus instar organorum seu automatum. Quod vero alii hic opponant, poenam tamen sumi ab animalibus, illud fieri solet ad delendam tristium eventuum memoriam.

(*adpellamus*). Admodum inepte hominum leges matrimoniales ad hanc censuram aestimarentur, nisi Platonismum probare volueris, id est, mulierum communionem.

§. 1.

(*jus gentium*). Etiam hic significatus est a jure Germanico alieniſſimus. Nam in jure Romano jus gentium est, quod pro fundamento habet rectam rationem, quod nos in

jure Germanico dicimus *das Recht der Natur*; Gentium autem jus (*das Volkerrecht*) dicimus harmoniam morum inter gentes cultiores. Hinc graviſſima diſputatio, utrum in hoc caſu jus gentium ſit obligatorium? In jure Germanico illud omnino adfirmandum. Non enim alio remedio ſuſtinemus praerogativam imperatoris ante alios reges, & quod dignitas in una republica collata etiam obliget ad adgnoſcendum in alia.

§. 2.

(*jus civile*). In jure Romano haec voluntaria jura dicuntur a civitatibus ſive urbibus, quoniam provinciae in jure Romano ab urbibus dependent. Sed in jure Germanico a provinciis jus provinciale dicimus, *das Land-Recht*, quod in dubio etiam civitates obligat, niſi his peculiare quid indultum *durch die Willkühr oder Stadtrecht*.

(*Quiritum*). Mea conjectura eſt, Quirinum idem eſſe, quam bellicum, quemadmodum hodieque in lingua Francica *la guerre* dicimus bellum.

(*noſtrum jus*). Ita in jure Romano jus civile pro Romano accipitur. In jure Germanico quoties jus publicum dicimus, Germanicum intelligimus a Germanis maximopere excultum.

§. 3.

(*ſcripto*). In jure Germanico ſcriptura propterea non facit legem, quoniam litterarum

rum elementis Germani olim caruerunt. Rectius igitur pro legis aut juris scripti fundamento ponimus promulgationem, in est, legislatoris voluntatem expressam.

§. 4.

(*lex*). A *legendo* dicitur in jure Romano, quia cuique ex populi jus in tabulis adfixum liberum erat legere, & lectum vel probare, vel improbare. In jure Germanico hoc dici nequit, & denominatio hic petita a discessu post caussam conclusam. Inde dicimus *Reichs*- vel *Landtags*- *Abschiede*.

(*plebiscitum*). Hoc in jure Germanico pariter contigit, praesertim in civitatibus popularibus, ubi plebs requisiverat a magistratu hanc vel illam legem, magistratus annuerat, unde plebiscitum evenit. Nomen ejus fuerat *gemeiner Bürger-Schluss*, aut etiam *Morgen-Sprache*, quum tempore promeridiano nullus in imperio Germanico conventus comitialis hodieque esse solet ob suspicionem ebrietatis.

§. 5.

(*SCtum*). Inprimis illud notandum, quod olim in jure Romano senatoria auctoritas in re judiciaria magis & consiliis pro re publica, quam in legibus constiterit. Post imperatores ipsi id egerunt, ut senatu Romano uterentur ceu instrumentis ad jussa populo Ro-

mano propaganda. Hinc plerique imperatores aluerunt suos oratores, ut senatui indicarent, quid fieri vellet imperator, ut adeo primi imperatores a legislatorio jure prorsus abstinuerint. In jure Germanico hoc verum est in civitatibus imperii aristocraticis, quod ibi SCta obligent cives sine adprobatione populi in civitate. Cujus tametsi consensus accessit, nomen ortum est *eines gemeinsamen Rath- und Bürger-Schlusses.* Ceterum in jure Germanico quodam modo huc referri possunt SCta summorum imperii tribunalium, praesertim *ihre sogenannte gemeine Bescheide.*

§. 6.

(*placuit*). In jure Germanico frustra hoc creditur. Frustra etiam illi sunt, qui Capitulationes pro lege regia habent. Nam in jure Romano lege regia imperatorum potestas est prolata, contra in jure Germanico per Capitulationes restricta. Neque etiam hoc dici potest de principibus, si ad principia genuina respexeris, quoniam in jure Germanico omnia haec fieri debent ex concluso provincialium conciliorum.

(*imperator*). In jure Gemanico has quidem formulas quotidie deprehendimus in principibus Germaniae. Neque dubium est, quod sensu juris Romani haec nomina distinguamus & aestimemus. Ceterum in jure Germanico olim stilus fuerat *kaiserliche Satzungen.*

gen. Sed hodie malumus *Reichs-Satzungen.* Illud nomen promulgationem legum respexit, hoc eorum lationem.

§ 7.

(*jus honorarium*). Quum civi & subdito indignum esset, auctoritatem praetoris violare impugnando illius voluntatem & sententiam. Sed tamen in jure Romano talia edicta non solum in urbe fuerunt, sed etiam in provinciis, licet post edictum perpetuum utrisque conciliaverit legis vim. In jure Germanico errant, qui principum jus adpellant honorarium & praetorium, gaudent enim potestate legislatoria. Possunt tamen eo referri edicta tribunalium supremorum, *die sogenannte gemeine Bescheide.* Quodam modo etiam referri eo possunt mercatorum decreta, (*ihre sogenannte Parere.*)

§. 8.

(*recedere responsis*). Hoc in jure Romano frustra creditur. Nam ostendi in *praefat. tom. I. Consil Halens.* quod aliquorum tantum ICtorum responsa adprobaverit imperator, tribueritque illis vim legum. Aliis certe major auctoritas non fuit, quam in jure Germanico hodieque, ubi responsa unius alteriusve doctoris a suspicione tantum litis temerariae liberant, & simul ab expensarum refusione. Aliud vero est, si ipse judex, quod fieri hodie solet, partium consensu transmittit acta ad scabinatus aut collegia ICtorum, ubi obligat

gat sententia ex convento & compromisso. Injustum ergo ac temerarium est, si judex ejus modi sententiam ab actis removet, aut plane migret. Illud etiam in I. G. caveri debet, quod magnum discrimen sit, provocare ad scabinatum, & adpellare ad judicem superiorem. Nuper hunc casum respondimus in *Halensibus diurnis dass z. E. viele Städte in Mecklenburgischen privilegiret, in ihren Rechts-Händeln die Acta nach Lübeck zu schicken, und nach denen Lübischen Rechten sprechen zu lassen.*

§ .9.

(*mores*). In I. R. rarius ad consuetudines provocatur, quoniam legum scriptarum ibi ingens multitudo. In I. G. consuetudines frequentia sua superant leges. Hinc in *Ord. cam.* cautum, *nach eines jeden Landes Brauch oder Gewohnheit zu richten.* Interim quum in barbaro aevo mores inculti fuerint: cultiora tempora plurimos mores in Germania sustulerunt, quandoque cum ratione, multoties etiam ex ignorantia. Addi etiam hoc debet, quod in I. G. principis taciturnitas ex actuum frequentia praesumatur, nec opus sit allegan-ti, principis scientiam probare. Ceterum quum in I. G. res judiciaria tribunalibus committi soleat, & principes ipsi jurium ignari sint: cavendum, ne praetoris, fori, aut tribunalis mores statim pro jure consuetudinrrio habeas.

§. 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0032
DFG

§. 10.

(*mandarent*). Parum recte imperator haec exempla huc trahit. Nam in I. G. nemo dixerit, majores noſtros caruiſſe legibus, quod caruerint litterarum elementis. Nam ſufficit, in comitiis ejus modi leges promulgatas, & memoria conſervatas, adeoque legislatoris voluntatem expreſſam, nequidquam tacitam, fuiſſe. Alia quaeſtio eſt, an praeſtet leges ſcribere, an vero recitare ex ore? In I. G. utrumque fieri ſolet, *daſs die Land-Rechte und Edicte nicht allein gedrucket, ſondern auch von der Canzel* (ſed mallem ex curia tempore nundinarum) *abgeleſen* werden.

§. 11.

(*firma*). Licet hoc verum ſit, quum Deo ceu legislatori ſupremo nemo hominum ſuis juſſibus obſtrepere debeat: quum tamen naturalia jura admodum incerta ſint, & quod unus adfirmat, alter neget, aut in dubium vocet; igitur nihil novi eſt, quod in concreto haec regula juris multoties patiatur exceptionem.

§. 12.

(*pertinet*). Haec diviſio admodum eſt luculenta; ſed in I. G. tale quid exſpectare non licet, quoniam leges veterum Germanorum vel admodum paucae fuere, vel ſine ullo ordine diſpoſitae, praeſertim quum major earum pars occupata eſſe ſoleat in criminibus punien-

puniendis. Ceterum, quum juris objectum univeſi ſint actiones vel praeceptae legibus, vel prohibitae: ex inde quilibet intelligit, huc non pertinere actiones honeſtas, id eſt, virtutes, ad quas nemo cogi poteſt, neque decorum, quod pudori relinquitur.

Tit. III.

(*pr. perſonarum*). Perſonae vox hic non denotat ſubſtantiam, ſed qualitatem ſubſtantiae adhaerentem. Vt adeo vocabulum comicum ſit, ubi unus homo plures agere poteſt perſonas.

§. 1.

(*libertas*). In I. G. libertas & nobilitas unus idemque ſtatus fuit, quia Germani cives olim non habuerunt, ſed omnes fuerant vel nobiles, id eſt, liberi, vel ſervi. Tertius ſtatus plebejus ex eo demum tempore ortus eſt, ex quo Germani inceperunt civitates colere, & condere urbes. Licet etiam in aliquibus civitatibus reperiantur cives, iidemque nobiles, quod tamen non praeſumitur.

(*prohibetur*). Si hoc verum eſſet in I. G. nemo noſtrum liber eſſet, quoniam omnes ſubditi vel vi vel jure obligantur ad aliquid vel omittendum, vel faciendum. Huc refer problema de jure emigrandi.

§. 2.

§. 2.

(*naturam*). Sed tamen dantur servi natura tales, ut qui se ipsum regere aut sustentare nequeat, pendeat ab alio.

§. 3.

(*servare*). Fit hoc in I. R. ideo, quod respublica illa fuerat militaris, & plebs Romae longissime abesset a servitute. Ut adeo peregrini tantum servi fierent. Sed dici hoc nequit in I. G. nam in vernacula dicimus servos a subjectione. Et illa subjectio praeter captivitatem in bello alias habere potest causas, e. gr. egestatem.

§. 4.

(*venumdari*). In I. R. hoc quidem dici poterat, immo etiam I. G. vetere. Sed hodie in I. G. dubitant, num liber aliquis renuntiare possit libertati, ex opinione vulgari, servitutem in Christianos sublatam esse. Hinc etiam paganos & barbaros existimant eo momento, quo attingant Europam Christianam, fieri liberos. Addunt poro in I. G. e. gr. in his locis, ex libero rustico non posse hominem fieri proprium. Utrumque tamen falsum, licet principis interfit, communem hunc errorem usu tueri. Hinc nuper in Westphalia jussu Prussiae regis hominibus propriis indulta est libertas.

§. 5.

§. 5.

(*differentia*). In I. G. hoc pariter olim factum fuerat. Sed postquam artes manuales, i. e. opificia interdicta fuerunt servis & hominibus propriis, ex eo tempore parum aut nihil relictum est hominibus propriis, praeter rem agrariam.

Tit. IIII.

(*pr. ex matre*). In I. G. res contra se habet; ibi enim regula, *das Kind tritt zur ärgern Hand*, i. e. si quis natus fuerit matre ingenua aut nobili, patre vero servo aut plebejo, tum ejus libertas aut nobilitas non attenditur. Est enim hoc in I. G. singulare, quod vera nobilitas (*ein vollbürtiger Adel*) aestimetur non solum a nobilitate patris & matris, sed etiam majorum materni generis. Inde juris regula tam in ordine Teutonico, quam in catedralibus canonicis, *dass sie ihre* 16 *Ahnen vom Vater und Mutter zu erweisen haben, anderer gestalt sie zu dergleichen Würden nicht zuzulassen.* Est etiam hoc singulare in I. G. quod constitutione regis Prussiae & ducum Brunsuicensium etiam hoc cautum, si nobilis duxerit plebejam, licet liberam, *dass die Kinder weder zu Schild noch Helm gebohren, noch für lehensfähig geachtet werden sollen.* Plenius ea de re actum in *Diss. de dignitate uxoris*, & an venter nobilitet, & in singulari Responso *von Missheurathen* in *Commentar. ad A. B. tom. II. pag.* 683.

(*medio*

(*medio tempore*). Est sane hoc contra omnem rationem, interim decisio imperatoris clara est. Quidsi igitur nostris moribus casus eveniret, *dass eine Leibeigene geschwängert, hernach etwa einen Monat einen Lass-Brief bekommen, sodann wieder eigenbehörig worden, ob das Kind alsdenn für Leibeigen oder frey zu halten;* haud dubie haec decisio fieret ambigua, nam in I. G. plures ad rationem, contra alii ad I. R. rigorem respicerent.

§. 1.

(*manumissionem*). Putativam scilicet. In I. G. hoc cessat, nam captivi moribus nostris servi non fiunt, sed manent liberi & ingenui, immo retinent dignitatem gentilitiam, licet eo usque detineantur, usque dum vel lytrum solvant, *oder sie werden auf Parole unter gewissen Bedingungen losgelassen.*

Tit. V.

(*pr. de manu datio*). In I. R. formula haec, *manu dare, accipere*, admodum frequens ob sollemnia traditionis rerum mancipi. In I. G. autem his sollemnibus opus non est, quum plerumque in manumissionibus *der Leibeigenen* litterae scribantur, dictae *Lass-Briefe.*

(*libertini*). In I. G. pariter dicimus *die Lassen* vel *Freygelassene.* Etiam in I. G. illud

obtinet quod inter nobiles natos & factos codicillis sit differentia, licet formula augustalis ita concipiatur, wollen *ihn in den Stand des Adels dergestalt erhoben haben, dass er gleich denen, so von adelichen Eltern gebohren* worden, *vor stifts- und rittermässig zu achten.*

§. 1.

(*multis autem modis*). Olim in I. R. hoc non fuerat, sed opus fuerat potius caussae cognitione, ne inficeretur civitas colluvie manumissorum servorum. In I. G. autem voluntas domini sufficit quocumque modo declarata. Huc enim trahere solent, quod idem fieri solet in indulgentia nobilitatis, e c. de Carolo V. historia fert quod Germanum adscripserit classi magnatum Hispaniae sub hac formula: *tege caput.* Quemadmodum in I. G. receptus est mos, per colaphum aliquem reddere sui juris; in vernacula dicimus w*ehrhaft machen.*

§. 2.

(*in transitu*). Hoc factum ab illo tempore, quo imperatores id egerunt, ut plures serui fierent liberi, atque adeo ciuium potestas minueretur. In I. G. idem fieri solet a principibus, uti res Prussiae nuper omnes proprios homines manumisit, cujus administri, etiam nobiles Westphaliae auctores fuerunt facere idem.

§. 3.

§. 3.

(*noſtra pietas*). In I. R. hoc olim fuerat iniquiſſimum, libertos ſtatim adſcribere civium Romanorum claſſi. Nam jus civitatis tum in maximo pretio. Hinc triplices incolae, 1) cives, 2) Latini, olim a Romanis diſtincti, 3) dedititii. In I. G. huc trahere poſſemus triplicem in quibusdam imperii civitatibus ſtatum, 1) *der Patricier*, 2) *der gemeinen Bürger*, 3) *der Pfalbürger oder Einwohner*. His fere nihil conceſſum, quam incolatus; illis negotia permittuntur (*die bürgerliche Nahrung*), iſti vero magiſtratus fieri poſſunt. Hodie pro diverſitate urbium etiam facilius eſt jus civitatis conſequi.

Tit. VI.

§. 1.

(*nihil agit*). In I. R. abſurdum fuerat, libertatem ſemel collatam reſcindere; ſed I. G. hoc ceſſat, adeoque in tali caſu reſciſſoriae actioni omnino locus erit.

(*proſpiciendum*). Contra ſe res habet in I. G. ubi longe indignius cenſetur, hominem proprium habere, quam herede porſus carere.

§. 2.

(*humanitatis ratione*). Re vera tyrannidis, quod imperatorum intereſſet, ſervorum numeros

meros minui. In I. G. hoc ceſſat, quia homines proprii jus habent & adquirendi, & alienandi.

§. 3.

(*animum fraudandi*). Hoc rationi legis adverſum animus enim praeſumitur ex re ipſa. Quare in I. G. etiam ſufficit, alienatorem eo tempore ſoluendo non fuiſſe.

§. 5.

(*hae ſunt*). Quum in I. G. alia longe conditio ſit hominum propriorum, quam in I. R. pleraque hic ceſſant.

§. 7.

(*ferendum*). Hoc omnio erat ferendum, quum ipſe uſus docuit Romanos, vafritiem ſervorum in circumveniendis puberibus magnam eſſe, & ſaepius petulantiam libertatis indultae cauſſam. Hinc in I. G priſtinis inſtitutis rectius vivimus, ut manumiſſio propriorum hominum minoribus ſit interdicta.

Tit. VII.

(*inhumanum*). Immo potius humaniſſimum, ne civitas impleretur colluvie ſervorum.

Tit. VIII.

§. 1.

(*juris gentium*). Imperator vocabula haec accipere hic videtur pro moribus gentium, quum olim acceperit pro jure naturae.

(*necisque poteſtatem*). Hoc in I. G. quidem pariter verum fuerat, ſed rariora tamen exempla ejus ſaevitiae, quam in I. R. quod Italorum major truculentia. Hodieque in Polonia crimen occiſi ſervi quinque florenis lui ſolet. Alia ratio eſt in I. G. ubi dominus jus puniendi in homines proprios magis qua judex, quam qua dominus exercet.

(*adquiri*). In I. G. hoc fit demum poſt mortem hominis proprii.

§. 2.

(*puniri*). Poena igitur homicidii non obtinuit ex lege Cornelia, ſed tantum redemtio aut mulcta. Sed in I. G. pariter factum fuit, ubi ſervorum homicidia habuerunt pecuniariam taxam, ſed hodie ultimum ſupplicium locum habet etiam in hominibus propriis occiſis. Quem rigorem debemus Chriſtianiſmo.

(*aedem ſacram*). In. I. G. hodieque ejus generis aſyla habemus. Quod Chriſtiani deſumſerint ex paganiſmo. Sed illud requiritur, num ejus generis refugium locum habeat tantum ob culpam, an etiam ob dolum. Ultimum

timum fuerat paganum, primum etiam apud Hebraeos. Ceterum inter gentes valde dubium, quousque legatorum aedificia asyli jura habeant.

(*ad statuas*). Pagana superstitio fuerat, statuis principum tribuere divinitatem: unde haec cessant in jure Germanico, in quo tamen testatissimum, singularem securitatem palatiis principum deberi.

(*cogantur*). In I. G. haec cessant, quoniam in homines proprios committi injuria potest, quam passus actionem injuriarum instituere adversus ipsum dominum potest. In I. R. de damno tantum agi poterat in servo laeso, non de injuria.

ADPENDICULA DE STATU CIVITATIS.

Quum imperator statum civitatis & peregrinitatis tractare omiserit, Germanici juris refert, aliquid hic addidisse.

Nam in I. R. jus civitatis nemini indultum, postea sub imperatoribus major facilitas in hac indulgentia fuerat, usque dum Antoninus pius omnibus peregrinis jura civitatis relinqueret, & Caracalla etiam nolentes cogeret census caussa, ad civitatis Romanae jura suscipienda. Hac ratione egomet magnam illam litem compono. Spanhemius enim in singulari libro erroris accusavit Justinianum

uum noſtrum, & Caracallae tribuit, quod imperator tribuerat Antonino pio.

In I. G. indigenatus non ſolum obtinendus erat a peregrinis in Germania univerſim, ſed etiam in ſingulis provinciis, immo urbibus quibusdam, hac clauſula, *daſs kein Fremder von Adel ſich Rittergüter ankaufen, oder aber das Bürgerrecht in Städten erhalten könne, ohne den Indigenat zu haben.* Sed poſtea principum fauore, quo incolis, civibus, & landſaſſis augere provinciam e re ſua crediderunt, indigenatus fere in deſuetudinem abiit, paucis provinciis exceptis. Conf. *Opuſc. dejure albinagii & wildfangiatus.*

Tit. VIII.

(pr. *poteſtate noſtra*). In I. G. praeſtaret titulum inſcribere de poteſtate parentum. Nam in I. G. matris Poteſtas eadem eſt, quae patris; in filiarum elocatione matris conſenſu aeque opus eſt, quam patris, &, ſi diſſentiant, tum reſpici debet ad cauſſas diſſentiendi, utra ſit idonea magis. Nequidquam vero, ut plerique ICti docent, patris conſenſus praeferendus.

§. 1.

(*mulieris*). In omni orbe olim recepta fuerat polygamia, ne Judaica quidem republica excepta. Idem in I. G. olim, licet Tacitus

citus commemoret, unum maritum plures uxores duxisse non ad libidinem, sed ad elegantiam ciuilem. Quid Christiana religio hic praecipiat vel indulgeat, multis dubium esse solet. In I. R. polygamia prohibita erat sub poena adulterii. Inde controversia enata inter principes imperii, qui plures uxores duxerant, quasi illi nequidquam adstricti essent ad cultum juris Romani. Ipse Lutherus cum asseclis dicitur haec judicio suo non improbasse. Sed tamen primariae tantum uxoris liberorum ratio habita est in successione principatuum feudali.

(*conjunctio*). In I. R. consensus fecerat matrimonium: in I. G. praeterea requiritur conscensio thalami, *daß die Decke beschlagen.* Licet vero in Christianismo accesserit benedictio sacerdotalis, qua matrimoninium credendum sit perfectum: est tamen illud, quod mireris, inter principes olim receptum, ut post benedictionem sacerdotalem matrimonium ante pro perfecto non haberent, quam conscensio thalami & concubitus etiam imaginarius, accesserit. Exempla habes in *Opusc. do matrimonio per procuratotem.*

(*individuam*). In I. R. locus olim fuerat divortiis ob causas levissimi momenti. Recepto Christianismo, causae definitae sunt ad indulgendum divortium. Accesserat etiam indulgentia, si utrique conjuges discesserint a se invicem bona pace. In I. G. rarissima divortii

vortii exempla sunt, quod conjuges olim vixerant in communione bonorum & liberorum. Hinc facilius in I. G. locum invenerat interpretatio Novi Foederis de non divortendo, nisi ob adulterium & πορνειαν, quae vox tamen saniori sensu includit omne factum turpe, stilo sacri Codicis. Ceterum in I. G. principes hoc sibi sumere solent, ut dimittant uxores, dummodo caussa adsit in I. R. adprobata.

§. 2.

(*nolli*). Est hoc verissimum, nam in I. R. 1) potestas in liberos fuerat fere immensa in vitam & necem, 2) in bona & fortunas, quum olim nulla essent peculia, 3) ratione diuturnitatis, quum potestas fere perpetua esset in liberos & omnes posteros. Omnia in I. G. se ex adverso habent. Nam 1) parentibus relicta sola coërcitio liberorum, unde frustra nuper rogavit pater, ut filius manciperetur ergastulo, 2) liberi sibi adquirunt, patri tantum usufructu relicto, 3) si liberi vel majorennes sint, vel sibi tantum adquirere possint, quantum pertinet ad victum cultumque, tum ipso jure exeunt e patria potestate.

§. 3.

(*nepos — — in tua*). Hinc in I. R. connubia non dependebant a voluntate liberorum, ne patri invito uxor duceretur a filio in domum paternam cum onere victus & cultus.

In I. G. ex adverso liberi ipso jure emancipantur per matrimonium.

(*patris eorum*). Filia igitur elocata desierat esse in patria potestate. In I. G. illud dubium est; unde problema, num, si vidua facta, recidere debeat in patriam potestatem, quod omnino negamus in sensu I. R.

Tit. X.

(pr. *justas*). Multa hic discrimina occurrunt inter I. R. & G. Nam in I. R. nuptiae dicuntur a *nubendo* seu velando: in I. G. autem vocabulum *Ehe* idem est, quam foedus, *heurathen* idem, quam locare, conducere, *Hochzeit* dicitur a festo die nuptiarum. In I. R. sponsalia non iniverant matrimonii candidati, sed pater sponsponderat liberos: in I. G. autem consensus & conuentio esse solet ipsorum liberorum, modo non dissentiant parentes. Ceterum in I. R. olim matrimonia fuerant triplicis generis, 1) per confarreationem, 2) coëmtionem, & 3) usum. Licet autem in I. G. veteri hoc ipsum quodam modo cognoscatur, de quo egimus in *opusc. de Wildfangiatu*, post Christianismum tamen benedictio socerdotalis introducta, aut in quibusdam locis evangelicis conuentio matrimonialis in curia civili declaratur, & firmatur judicis testimonio.

(*cives Rom.*) I. R. cum peregrinis nullum matrimonium, & inter servos tantum contubernium. In I. G. hae leges exsulant, & homi-

mines

mines proprii pariter matrimonia ineunt. Illud singulare in quarumdam civitatum statutis reperitur, *dass der Kaiser die Kinder nicht zwingen wolle aus der Stadt zu heurathen.*

(*praecepta*). In I. R. matrimonia prohibita non erant cum personis diversorum sacrorum. In I. G. matrimonia cum Judaeis, Turcis, & paganis prohibita sunt sub poena ultimi supplicii. Quod horrendum, & omnibus juribus divinis & humanis adversum.

(*viri potentes*). In I. R. respicitur ad clima, ubi fruges citius matureſcunt, & deinde uxor non respicit oeconomiam, & patrifamilias haec cura relinquenda. Contra in I. G. clima temperatum magis est, & res familiaris curatur ab uxore. Hinc uxor 12. maritus 14. annorum inter I. G. portenta merito referuntur. Vid. *opusc. de aetate legitima puberum & majorum.*

(*jussus parentis*). In I. G. hoc cessat, quoniam connubia non impetrantur a patrefamilias. Quod vero ad consensum attinet parentum, ille non attenditur, nisi parentibus sint justae causae. Quibus deficientibus consistorium solet consensum supplere. In I. R. haec omnia se ex adverso habeat.

(*filiae*). Unde ratio manifesta, quare in filio patris consensu, aut jussu magis, opus fuerit, quam in filia, quae educta & elocata fuit in domum mariti, ut adeo determinatione

ne

ne tantum dotis opus esset. In I. G. haec omnia cessant, quia 1) liberi per connubia emancipantur, 2) dotis constitutio nequidquam necessitatis est, quum salua etiam emancipatis & elocatis portio sit hereditaria.

§. 1.

(*quae parentum*). Etiam hoc in I. G. aliorumque moribus fuerat receptum, ut abstineretur a nuptiis in linea recta, ut scilicet evitarentur matrimonia coacta, & aetatis caveretur inaequalitas.

(*adoptionem*). In I. G. saltim respicitur accessio carnis ad carnem. Taceo, quod adoptiones in I. G. non fuerint in usu.

§. 2.

(*non tanta*). Illud in I. G. singulare, & Germanis cum Hebraeis commune, quod in connubiis abstinuerint a peregrinis, sed in deliciis habuerint nuptias ex sua gentilitate, *daſs beſonders der Adel und Herrenſtand nicht leicht aus ſeinem Geſchlechte geheurathet.* Docui hoc in *Halensibus diurnis* occasione regiarum filiarum marchionibus Onoldino & Baruthino elocatarum. Quod quum ita sit, frustra theologi in incestu cavendo fines ampliant', quum potius e re sit, fines contrahere. Quodsi enim abominabilis Deo fuisset accessio quaevis ad carnem carnis suae, opus fuisset uno actu,

ut

ut cetera animalia, ita etiam plures homines creare.

§. 3.

(*ſororis filiam*). In I. G. vel attendimus leges divinas, vel ſtatuta conſiſtoriorum. In his nuptiae hae prohibitae ſunt, non autem in illis. Nam Mevius ducendo ſororis filiam non convertit, ſed adauget reverentiam, quam filia ei debet, ob duplex vinculum. Haec uſum habent in I. G. intuitu diſpenſationis principis, deinde intuitu principum evangelicorum.

§. 4.

(*conjungi poſſunt*). Apud Evangelicos utique permittendum eſſet, *daſs Geſchwiſterkinder einander heuratheu könnten*. Sed pleraque conſiſtoria evangelica hunc gradum quartum improbant ex corruptiſſima doctrina, computationem fiere debere per gradus duplicatos canonum.

§. 5.

(*parentum loco*). Et reverentia haec illis debita converteretur. Verum ceſſat in ſororis filia, quod modo dictum.

§. 6.

(*adfinitatis*). In praxi primum adfinitatis genus attendimus. Et regula facillima, ſi attenderis, maritum & uxorem conſtituere unam perſonam. In linea tamen collaterali indul-

indulgemus nuptias cum uxoris defunctae sorore, quod mores hoc matrimonium in polygamia prohibuerint, nequidquam priore conjuge mortua.

§. 8.

(*recte contrahunt*). Etiam evangelici theologi hoc admodum dissuadent ex corrupta doctrina, leges prohibitivas magis extendendas, quam restringendas esse. Cujus contrarium supra probavimus.

§. 9.

(*abstinere debere*), Rationes consilii aut fictitiae honestatis cum rationibus juris civilis nihil habent commune. Hinc in I. G. hoc est usu receptum, ut purget se ejus modi persona desponsata, *daß sie sich mit dem Verlobten nicht vermischet.* In I. G. nihil attendimus, nisi vicinitatem sanguinis, alii respectus prorsus cessant.

§. 10.

(*serviles*). Est hoc horrendum dictu, quod incestus nulla ratio fuerit inter servos; quasi scilicet hi omnem pudorem potuerint exuere, & vivere imperio domini solius. In I. G. hoc cessat, quod ipsi servi legibus divinis addicti sint.

§. 11.

(*aliae personae*). Utinam, quod in I. R. hic cautum fuerat, ne tutor duceret pupillam, ne

ne praeſes provincialem, cet. Locum etiam nunc haberent. Prioris generis matrimonium praeſumitur eſſe coactum, ex altero facile oriri poterant motus in republica. Sed id in I. G. eſt ſingulare, 1) ne nuptias contrahat nobilis aut princeps cum muliere imparis ſortis, 2) ne milites aut principum adminiſtri ſine conſenſu ſuperiorum aut principis. Porro clericis & ſacri ordinis militibus interdicta eſſe connubia, notum eſt. Ubi tantum problema remanet, num diſpenſationi locus; quod adfirmandum, exemplo ſacrorum ordinum in Hiſpania, qui ſibi fingunt votum caſtitatis matrimonialis. Elector Brandenburgicus eodem jure, quo papa, diſpenſavit canonicos capitulares.

§. 12.

(*nec matrimonium*). Quod de patria poteſtate hic dicitur, in I. G. parum attenditur, quia patria poteſtas Germ. vix umbra Romanae. Sed in ſucceſſionibus haec poena ſe potiſſimum in I. G. hodieque exſerit.

(*nec dotis*). In I. R. dos neceſſaria erat, quoniam filiae eo ipſo portionem hereditariam capiebant; deinde etiam propter divortia mulieribus proſpiciendum erat de alimentis. Utrumque ceſſat in I. G. nam elocatae filiae ſuccedunt parentibus cum aliis liberis, matrimonia ſunt indiſſolubilia, & bonorum ſollemnis communio. Ubi autem bona feudalia ſunt, ibi

ibi vidua habere debet vidualitium, licet non fuerit dotata. Intuitu dotis vero obtinet, ut maritus prospiciat uxori de dote, antidote, aut dotalitio. Conf. *Opusc. different. jur. Rom. & Germ. in dote, antidote, donatione propter nuptias, dotalitio, & vitalitio.*

§. 13.

(*curiae datus*). In I. R. hic in legitimatis respicitur 1) ad patriam potestatem, 2) ad successionem. In I. G. legitimatio fieri solet ad tollendam maculam nativitatis, ne ejus modi proles excludatur ab opificiis, aut connubiis cum opifice.

Tit. XI.

(pr. *adoptamus*). In I. G. exsulat adoptio, quia gentilitii heredes instar suorum. Licet autem postea ex I. R. adoptiones pariter introductae: plurima tamen Romanorum jura inconcinna fuere Germaniae institutis. Loco adoptionis Germani coluerunt confraternitates aut ganerbinatus. Et errant, qui hunc modum personis illustribus tantum indulgent, negant hominibus privatis; antiquissimis enim temporibus I. G. universim obtinuit, nec lege ulla hodie illud sublatum.

§. 1.

(*rescripto*). In I. G. hodie haec Sporta committi solet comitibus palatinis.

adro-

(*adrogatio*). In I. G. haec differentia ceſſat.

(*parentum*). In I. G. nuper illa quaeſtio occurrit, an filius familias patre invito potuerit adrogari? In I. R. id fieri non poterat, quod patria poteſtas eſſet aeterna: ſed quum in I. G. illa deſinat cum minorennitate, cet. filii ſui juris ſunt, nec aliquid obſtat adoptioni.

§. 2.

(*diſſolvuntur*). Ex hoc itaque tempore illud intelligi debet, quod imperatores id egerint, ut adoptiones fierent rariores, adeoque in adoptando nulla commoda patri adoptivo remanerent. In I. G. quum patria poteſtas vel minima, vel non perpetua ſit, idem obtinet in adoptivis.

§. 3.

(*cauſſa cognita*). Illud omnino requirebatur in I. R. quum ſaepe eveniret, ut homines peſſimi impuberes patresfamilias allicerent ad ejus modi arrogationem, eo fine, ut bona arrogandorum ad ſe traherent. In I. G. hoc ceſſat, quia ceſſat patria poteſtas Romana.

§. 4.

(*pro monſtro*). Quum haec jura in conventionibus conſiſtant, reſpiciantque tantum modo in I. G. educationem & ſucceſſionem, non crediderim hoc in I. G. attendi, quo-

niam non attenditur in pactis confraternitatum.

§. 5.

(*nepotis*). In I. G. hoc fieri non potest, nisi forte pater fuerit demortuus, quamuis etiam sic lusus magis esset in vocabulis, quam verus effectus juris.

§. 7.

(*consentire debet*). Hoc iterum in I. G. cessat ob caussam modo dictam.

(*in adoptionem*). In I. G. hoc neutiquam fieri potest, quoniam cessat patria potestas in alienandis liberis.

§. 9.

(*spadones.*) In I. R. frequentissima de castratis jura, quoniam in mores iverat Graecorum & Romanorum, liberos sterilitate privare ob caussas multiplices. Sed in I. G. hoc prorsus illicitum, quum parentibus nullum jus in corpora liberorum aut servorum. Ceterum in I. G. non solum nuptiae tolerari solent castratorum, sed & adoptiones, ob mutuum adjutorium atque educationem.

§. 10.

(*ad solatium liberorum*). Nuper quaestio fuerat ad modum momentosa, ubi illustris femina adoptavit adgnatum suum sine principis indulgentia, deinceps etiam in caelibatu, qua-

quapropter adoptio in I. R. habita fuerat pro nulla. In I. G. nos hanc adoptionem habuimus pro legitima, quoniam matriam potestatem saepius adseruimus, ut adeo obstaculo I. R. remoto non opus esset principis indulgentia.

§. 11.

(*liberi ejus*). In I. G. hoc iterum fieri nequit, quod patria potestas eo se non extendat, ut liberis obtrudere possit pater naturalis alium patrem.

§. 12.

(*nominaverit filium*). In I. G. hoc valde dubium, quia filii & patris nominibus abuti solemus in familiaribus colloquiis. Illud tamen in I. G. receptum, quod ejus modi adoptio fieri solet coram judice, & haberi pro jurisdictione voluntaria.

Tit. XII.

(pr. *liberentur*). In I. R. plurimum intererat liberorum, patriae potestatis iugo liberari: sed tamen etiam eorumdem intererat, ne in poenam emanciparentur, fierentque exheredes. Utrumque cessat in I. G. quia patria potestas nec perpetua, nec molesta sit liberis, deinde quia liberi emancipati heredes sunt pari jure cum suis.

(*parentis*) In I. G. dicimus parentum, quia etiam mater liberos sub potestate habet, eosque alere & dotare tenetur, estque usufructuaria bonorum. Quae omnia aliter se habent in I. R.

§. 1.

(*deportatur*). In I. R. deportatio fiebat inter compedes & vincula, relegatio tantum per interdictum incolatum in urbe aut suburbiis. In I. G. primum tunc fieri solet, quando ad triremes aut ergastulum condemnantur rei; in altero satis est interdictum vel praevio jurejurando (*der Urphede*) relegati ad limites vel civitatis vel etim provinciae deducuntur. Praeterea in I. G. introducta fustigatio cum relegatione perpetua semper conjuncta. Aliter in I. R. ubi flagellatio in servis, fustigatio in hominibus liberis facta servato his jure civitatis.

§. 3.

(*poenae servis*). In I. R. hoc multiplici modo fiebat quod conversum Christianismo recepto. In I, G. conferri possunt cum his, qui in perpetuum ad operas publicas condemnati sunt. Qui tamen libertatem retinent, juraque & onera patriae potestatis.

§. 4.

(*patriciatus*). In I. G. hac distinctione opus non est inter diversae dignitatis gradus. Respici

spici enim solet, 1) num liberi sint majorennes, 2) sibi quaerant mereanturque victum & cultum. Casum nuper respondimus, *da ein Cammerjunker sich mit der exceptione SCti Macedoniani geschützet.*

(*non valere*). Hoc argumentum valde est lubricum; nam nemo dubitaverit, patrem juri suo nuntium mittere posse. Sed alia quaestio est, num imperator possit patri naturali jus suum auferre? In I. G. frustranea est quaestio, quoniam ad hoc culmen dignitatis in aetate minorenni nemo pervenerit.

§. 5.

(*servus hostium*). In I. G. hoc pariter cessat, quia captivi nequidquam in servitutem detruduntur.

§. 6.

(*explosa*). Vix conjecturis adsequi licet, quid in I. R. moverit legislatorem ad ejus modi imaginaria schemata venditionis. Sed tamen haud dubie emancipationes his ambagibus reddere voluere difficiliores. In I. G. de modis finiendi patriam potestatem ipso jure, supra diximus. Quodsi tamen res dubia esse possit, cautius agitur, si coram magistratu emancipatio suscipiatur. Exempla passim occurrunt, quod in I. G. nobiles praesertim in alienationibus ad consensum habendum liberorum, hos, quod ad hunc actum, emanci-

paverint, nominaverintque ipsis tutores. Est etiam novissimum exemplum regis Poloniae, qui nostri aevi regem Poloniae solemni ritu ante matrimonium contractum emancipavit. Sed plures ICti hunc ritum habuerunt pro frustraneo.

§. 7.

(*neptem retinere*). Cessat hoc in I. G. quod nepotes non sunt in potestate avi.

§. 10.

(*modo*). Praesertim in I. G. Quodsi enim pater nimis crudelis aut improbus, liberi quidem solent aliis ad aducandum dari, salva patria potestate. Etiam in I. G. nihil ageretur, si pater vellet filium filiamve emancipare, atque sic se liberare patris officio. Contra autem in I. G. praesertim vero ad usum fructum eripiendum patri, saepius controverti solet, *ob nicht ein Vater seine Tochter zu verheurathen, oder seinen Consens zu geben schuldig, wenn er die Tochter aus einem Eigennutz, um ihr Mutter-Guth zu geniesen, in der Heurath hindern will.*

Tit. XIII.

(pr. *curatione*). Instar commentarii hic esse possunt dissertationes nostrae tutelares. Universim dicendum, quod in I. G. nulla sit distinctio inter tutelam & curam, adeo, ut in

in vernacula nobis vox desit ad exprimendum discrimen. Ratio haec est, quoniam insipidum est, propter pubertatem liberos solvere tutela, quum lubrica illa aetas tutoris regimine magis opus habeat, quam apud impuberes, qui boni ignorantia mali.

§. 2.

(*tuitores*). In I. G. habemus vocabula significantiora, *Pflege-Väter*, *Pflege-Voigte*, *Gerhaber*, *Vormünder*, nam *Mund* Germanice idem, quam sepimentum, inde contrarium dicitur *unmündig*. In jure Anglico habent vocem *guardiani*, a custodiendo.

§. 3.

(*testamento tutores*). In I. G. exsulaverant testamenta. Hinc loco testamentoriae tutelae pactitia obtinebat, licet rarior. Hinc merito adfirmamus, quartum hoc tutelae genus obtinere etiam nunc.

§. 5.

(*emancipato*). In I. G. filii ante majorennitatem non solent emancipari.

(*inquisitione*). In I. G. confirmatione opus est in omni tutelarum genere.

Tit. XIIII.

(pr. *filiusfamilias*). Nam in I. R. ille non interdicitur aliena negotia gerere. In I. G.

evenire hoc nequit, quia filiatio ceſſat cum majorennitate, & minor ad tutelam non admittitur.

§. 1.

(*libertatem*). In I. G. hoc prorſus ceſſat. Quodſi enim homo proprius in teſtamenti nominaretur tutor, ideo manumitti non ſolet. Verum in I. G. hoc numquam vel raro fit, quia indignum habetur, liberum aut nobilem hominem auctoritati ſubiicere hominis proprii.

§. 2.

(*annis*). In I. G. ſufficiunt viginti, & unus additur pro ſpatio, intra quod reſtitutioni locus.

§. 4.

(*rei vel cauſſae*). Utrumque in I. G. falſum, nam diſcrimen inter tutelas & curatelas prorſus ceſſat. Hinc pro diverſitate provinciarum Germaniae etiam diverſi conſtitui ſolent tutores, & mandatum tutelae in una provincia non ſufficit in alia.

§. 5.

(*non continebuntur*). In I. G. inprimis cavendum eſt, ne in verborum ſignificatione verbis Latinis ſtricte inhaereamus. Nam e. gr. nepotes Germanis dicuntur *Sohns-Söhne*, aut primo omiſſo *Söhne*. Et multa exempla occurrunt in titulis *de verborum ſignificationibus* tam in

in jure civili, quam in jure canonico, ut in tam numerosa interpretum copia optandum sit, vocabula utriusque linguae probe distingui.

Tit. XV.

(pr. *tutores*). In I. G. olim testamentarii tutores exsulaverant. Licet vero postea una cum Testamentis recepti: in feudis tamen & principatibus testamenturiae tutelae numquam locus fuit. Singulare exemplum in comitatu Mansfeldensi. Princeps enim pupillus tres tutores habuit, testamentarium, in matre legitimum, & dominos feudi regem Prussiae & Poloniae. Nam in I. G. deficientibus adgnatis tutela redit ad feudi dominum.

§. 1.

(*sunt autem adgnati*). Clarius in I. G. ab armis designatio adgnatorum fit, *die Schwerdt-Magen* vel *Schwerdt-Seiten*, & cognati *Spill-Magen*, vel *von der Spindel-Seiten* dici solent. Quamvis vero in I. R. imperator sustulerit discrimen in succedendo inter adgnatos & cognator: remanet tamen illud in legitima adgnatorum tutela in I. G. feudali.

§. 3.

(*capitis deminutione*). In I. G. pariter hoc evenire potest, praesertim in nobilibus familiis. Nam quandoque propter delicta in poenam solent denobilitari, *dass ihnen Schild*

und Wappen zerbrochen, und in dem Armorial oder Stammbuch adelicher Geſchlechter ihr Name ausgeſtrichen wird.

Tit. XVI.

(pr. *capitis deminutio*). Clarius forte, ſtatus mutatio, in I. G. *eine Standes-Veränderung.*

§. 1.

(*ſervi poenae*). In I. G. hoc ceſſat, nam etiam ultimo ſupplicio adficiendi habent jus ſibi adquirendi, & diſponendi de rebus ſuis; niſi in confiſcatione bonorum, quae tamen in crimine laeſae majeſtatis tantum obtinet, in I. R. autem erat frequentiſſima. Tacito auctore ſcimus, quod debitores ſtatum ſervilem induerint, in I. G. praeterea dignitas gentilitia amiſſa, ſuſcepto alterius miniſterio.

(*ut ingratis*). In I. G. nuper reſpondimus, quod ruſticus filium emancipatum receperit propter ingratitudinem in patriam poteſtatem, revocata donatione omnium bonorum.

§. 2.

(*accidit*). In I. G. valde eſt ambiguum, quo genere poenae civitas amittatur. Nam alii putant, ſimplicem relegationem infamare, ſed hominem infamen non tolerari in civitatis conſortio. Illud ſingulare eſt, quod in quibusdam civitatibus jus civitatis amittatur,

ſi

si quis fuerit nobilitatus, ob privilegium, *daſs keiner ven Adel das Bürger-Recht in der Stadt gewinnen moechte.*

§. 3.

(*commutatur*). In I. G. hoc parum attenditur, quoniam tanta non est patria potestas, quam in I. R.

§. 4.

(*nullum caput*). I. R. hoc verum est, quia servi instar jumentorum habiti sunt. Sed in I. G. hoc cessat in hominibus propriis. Interim servus manumissus statum nihilo minus mutat.

§. 5.

(*senatu motos*). In I. G. caussam remotionis respicimus. Aliud enim est honesta missione moveri, aliud, *abgesetzet werden* ob delictum. Interim in I. G. etiam hoc verum, simpliciter remotum a munere nec libertatem, nec civitatem amittere.

§. 6.

(*cognationis perit*). In I. G. hoc idem fit, *daſs einer von Adel*, post factam denobilitationem supra descriptam *sich nimmer des Schildes, noch Wappens, noch Namens, noch Verwandschaft bedienen mag.*

§. 7.

§. 7.

(*ad omnes*). In I. G. autem, ubi jus primogeniturae est receptum, ibi tutorum multiplicatio etiam cessat.

Tit. XVII.

(*ad patrones*). In I. G. idem hoc fit in tutela domini in vasallum, siquidem feudum aperturae proximum, & defuerint simultanee investiti.

Tit. XVIII.

(*emancipaverit*). In I. G hoc fieri non potest. Interim si filius impubes habuerit negotium, pater ei adsistere solet, & dici *der natürliche Vormund*. Taceo, quod materna tutela pariter in I. G. attendenda.

Tit. XVIIII.

(*perfectae*). In I. G. perfecta aetas maturior est, quam in I. R. Accedit etiam hoc, quod venia aetatis huc trahenda non sit; quod in foro receptum est, ut mater tutelam quidem minorennis habeat, sed tamen alius interim tutor dandus.

Tit. XX.

(pr. *ei dabatur*). Olim misere agebatur cum pupillis, sed postea medela accessit huic malo ex tutela dativa. In I. G. putant, omnem tutelam esse dativam, quia omnis tutela opus habet actu

actu judiciali, confirmatione, immo inquisitione, utrum hoc conducat pupillo.

§. 4.

(*praefectus urbi*). In I. G. adnexa est tutoris datio jurisdictioni ordinariae. De camara imperii dubitare solent; sed caussa dubitandi respicit tantum vasallos imperii, quibus imperator & ejus judicium aulicum, de tutela prospicere vult. Optimum institutum est in I. G. quod in quibusdam civitatibus habeantur magistratus tutelares, (*Vormundschafts-Aemter*).

§. 5.

(*solidos*). Utinam hoc attenderetur in I. G. siquidem facultates nimiae sint. In multis locis disputari solet, *ob nicht in solchem Fall der Landesregierung zukomme, Vormünder zu setzen.*

§. 7.

(*tutelae judicio*). In I. G. quotannis rationes reddi debent, *und ist das Vormundschafts-Amt verbunden, jährlich die Rechnung abzunehmen.* Deinde etiam in I. G. cautum, *dass die Vormundschafts-Rechnungen nach der vorgeschriebenen Tabelle abgeleget werden;* idque, si tutor non intellexerit, fieri debat per artis computandi peritum. I. G. etiam inter tutelae judicium & curatelae nihil interest.

Tit.

Tit. XXI.

(pr. *auctoritas*). Omnino e re fuisset, imperatorem de officio tutoris sigillatim, & enumeratione partium egisse. In I. G. sequentia notari debent, 1) ne tutor declinet tutelam, 2) se sistat magistratui, 3) fidem det tutelarem, 4) exigat tutorium aut curatorium a judice, 5) conficiat inventarium, 6) bona administret, 7) distrahat, quae servari nequeunt, 8) alimenta praestet pupillo, 9) defendat eum, si fuerit laesus, 10) sollicitus sit de ejus educatione, cet.

§. 1.

(*adire*) In I. G. hoc fieri potest; postquam in mores ivit, heredes non teneri ultra vires hereditatis. Est etiam hoc singulare, quod studiosus impubes aut minor contrahere possit in illis, quae paterna pietas facere tenetur.

§. 2.

(*praesens*). In I. G. hoc cessat, dummodo colluso absit aut concussio.

§. 3.

(*sed curator*). In I. G. illud saepius evenire, ut ipse etiam pater constituat liberis suis curatorem, supra dictum.

Tit. XXII.

(pr. *liberantur*). In. I. G. ab hac doctrina jure meritoque abhorremus, quum alia maturitas

turitas annorum requiriretur ad matrimonium, alia ad se regendum & sua administrandum. Propterea in I. G. quidem etiam in tempore pubertatis a I. R. differentiam habemus, quod clima nostrum serius soleat reddere puberes: verum in I. G. haec caussa nequidquam est finiendi tutelam, licet sera matrimonia, ante majorennitatem, vigesimum scilicet annum non ineunda, commendaverit inde a principio I. G. veterumque instituta.

Tit. XXIII.

(pr. *ad* 25.) In I. G. & universa Europa majorennitas terminum habet 20 aut, si tempus restitutionis addas, 21. aetatis annum. In I. R. igitur quatuor aut quinque anni additi sunt, quod Latio forte dandum ideo, quo major corruptio juventutis. Praeterea etiam hic terminus in I. G. in plurimis locis, praesertim emporiis, habetur justo longior. Ut adeo majorennitas incipiat post annum decimum & octavum. Etiam in militia obtinuit hoc olim, quoniam milites sub inspectione sunt & disciplina militari, ut adeo hac curatione opus non esset. Vid. *Opusc. de legitimae aetate puberum & majorum.*

(*negotia*). In I. G. addimus, neque se regere aut tueri possunt, quia nulla inter tutelam & curationem differentia.

§. 1.

§. 1.

(*non datur*). In I. G. datur, quamuis ineptiant quaenam ſtatuta in formula, *daſs nach vollendeter Tutel er auch die Curatel fortzuſetzen ſchuldig.*

§. 2.

(*non accipiunt*). Eſt hoc in I. R. utique horrendum, ſed tamen veriſſimum; conſtat enim ex auctoribus claſſicis, maxime comicis, quod adoloſcentes levis notae maculam contraxerint accipiendo curatorem, quaſi ſcilicet mentis eſſent & animi infirmioris. In I. G. cautiores ſumus, nec adoleſcentes ſine curatione relinquimus, immo eamdem obtrudimus nolenti ſine ulla ſuſpicionis macula.

§. 3.

(*prodigi*). In I. G. opus eſt ſententia condemnatoria, *daſs ihm, als einem Verſchwender die Adminiſtration ſeiner Güter unterſaget worden.*

§. 4.

(*morbo laborant*). Hoc morbo laborare praeſumuntur feminae. Hinc etiam in jure Saxonico femina nihil agere, nec ſe obligare poteſt ſine adſiſtentia curatoris. Contra in Marchia & alibi loco curatoris in rebus alicujus momenti addere ſolent, *daſs die Weiber ſolches mit Aſſiſtenz und Beyſtand vornehmen ſollen.* Ultimum mallem, quam primum. De

De caeco dubitari solet. Sed excipe, si aliqua infirmitas vel animi vel corporis concurrat.

§. 6.

(*actorem*). In I. G. etiam nunc opus est, praesertim in caussis forensibus, ut tutor illas respiciat per actorem aduocatum qui duplici instrumento opus habet, 1) tutorio aut curatorio intuitu mandantis, 2) actorio instar mandati.

Tit. XXIIII.

(pr. *satisdare*). In I. G. 1) omnis tutor aestimari solet hoc censu, *ob der Pupill mit demselben gesichert sey*, deinceps 2) haec satisdatio aut providentia incumbit eidem judici, qui tutorem vel curatorem constituit.

§. 1.

(*unus offerre*). In I. G. hodieque, si plures contutores sint, curae solent dividi, & pro ratione oneris adsignari quoque tutelare salarium.

§. 2.

(*subsidiaria actio*). In I. G. idem obtinet, quamvis casus rariores sint ideo, quoniam munera judicialia perpetua esse solent in I. G. quum in I. R. fuerant temporaria.

§. 3.

(*pignoribus captis*). In I. G. uti cautiones ceſſant, ſic quoque pignorum captio. Satis enim eſſe creditur, ſi nemo tutor admittatur, niſi vir ſit integrae fidei, unde nulla pericula metuenda.

§. 4.

(*hi tantum modo*). In I. G. idem judex, qui tutores dat, etiam proſpicere debet ſi non de ſatisdatione, tamen cautionibus aliis, ne pupillus circumveniatur.

Tit. XXV.

(*pr. excuſantur*). In illis Germaniae provinciis, ubi tutela fructuaria eſt, aut tutores ſalarium habent lege definitum, ibi nulla audiri ſolet excuſatio. Frequentiores autem contentiones ſunt de tutela habenda. Hodieque ejus modi lites inter principes imperii frequenter occurrunt, & in tribunalibus imperii ventilantur.

(*publicum*). I. e. gratuitum, uti munera quaeque publica apud Romanos fuere. Sed in I. G. ſalaria recepta eſſe, jam diximus. Illud tamen addi hic debet, quod ſub publico munere aliqui intelligant populi aut rei publicae mandatum & auctoritatem. In I. G. etiam ex eodem hoc fonte dominus territorii adfectat *das Amt eines oberſten Vormundes*, praeſertim

sertim in vasallis. Hac occasione imperator in Silesiae principatibus mandavit, *dass die Kinder der Evangelischen in die Jesuiter-Schulen, bis sie lesen, schreiben und rechen gelernet, zu senden.*

(*prodesse.*) In jure Germanico hoc prorsus cessat. Nam 1) Germanicarum feminarum uteri foecundiores sunt, quam ut 3. 4. 5. liberorum numeri caussae esse possint alicujus privilegii, 2) cessat igitur etiam discrimen sedis principalis & provinciae, 3) nec iis, qui in acie perierunt, in I. G. aliquid praecipui tribuitur.

§. 1.

(*semestribus*). In I. R. in mores iverat, ut imperatores in aestivo semestri colerent militaria, in hyberno autem res forenses & civiles, quod apud nos cessat.

(*administrat*). Nam in I. R. advocatura fisci non perpetua fuerat, sed temporaria verum sine salario. Negant igitur hoc privilegium in I. G. advocatis fisci, sed sine ratione, quoniam principis interest, fiscalem non distrahi negotiis alienis. Quapropter plurimis locis prohibentur etiam suscipere tutelam.

§. 3.

(*deserere*). Caussam hanc nuper respon-

dimus, & tutelam ob taedium deseri posse negavimus.

§. 5.

(*tria onera*). Hoc in I. G. ideo dubium, quoniam tutorum salaria in usu.

§. 8.

(*nesciunt*). In I. G. in tanta scholarum frequentia non potest hoc facile evenire. Sed tamen ex actis Frisiae & Belgii saepius intellexi, opulentissimos ibi homines esse illitteratos, & nihilo minus negotia cum successu administrare.

§. 13.

(25. *annis*). Sed in I. G, 21. sufficiunt.

§. 14.

(*in milite*). Hodieque idem in I. G. obtinet, excepta tamen tutela fructuaria in feudis. Sunt, qui perhibent, omnes vasallos milites esse, adeoque in I, G. ad tutelam admittendos, sed errant.

§. 15.

(*grammatici*). Disputant hic de caussis, quare nulla hic fiat mentio ICtorum. Suggerere rationem solent, quia hi prae aliis ad tutelam aliorum apti. Sed ratio hic habenda publici commodi, ne juris professores a studiis distraherentur.

§. 16.

§. 16.

(*lapidem*). In I. G. hoc non attenditur, idque ideo, quoniam potius respicitur ad tempus, quo rescire possunt, se tutores factos aut vocatos. Et quum celerum cursus superiori aevo demum innotuerint, non potuerunt Romani ad illos respicere. Taceo, quod etiam milliaria nostra longe majorem habeant distantiam, quoniam in Italia propter calorem aestivum iter nemo facere poterat per totum diem.

§. 17.

(*ad universum*). Supra diximus, in I. G. tutelas & curateles pro caussarum & negotiorum varietate dividi posse.

§. 18.

(*non compellitur*). In I. G. compellitur ob formulam frequentissimam, *dass nach geendigter Tutel Titius auch die Curatel fortzusetzen schuldig.*

§ 19.

(*maritum*). In I. G. maritus dici solet *der eheliche Vormund*, neque opus est ei tutorio, idque ob communionem bonorum Germanis olim sollemnem. Interim si forte maritus emotae mentis fuerit, in I. G. etiam uxor fieri potest tutrix aut potius curatrix seu curator, etiam in illis locis, ubi mulieres sub perpetua curatela.

Tit. XXVI.

§. 1.

(*Romae praetori*). In I. G. idem judex, qui tutorem aut curatorem conſtituit, etiam cognoſcit de ſuſpicionis cauſſa. Poteſt vero quis etiam ſuſpectus eſſe ſine crimine.

§. 2.

(*patronus*). Trahere hoc ſolent ad dominum feudi, atque etiam ad parentes, quorum famae parcendum eſſet: in I. G. quidem pariter eſt verum, ſed tamen a jurejurando ſe ideo non poteſt excuſare.

§. 3.

(*accuſationem*). In I. G. potius denuntiatio fieri debet judici, qui inquſitionem inſtituit.

(*verecundiam*). In I. G. hoc non laedit verecundiam muliebrem, ſi mulier in judicio vel deferat, vel accuſet.

§. 4.

(*ex conſilio*). Hoc conſilio opus non eſt in I. G. nam etiam impuberes non prohibendi, quin judicii denuntient cauſſas tutoris ſui ſuſpecti.

§. 5.

(*Jolvendo*). Suſpicio enim oriri poteſt ex neglectu pupillaris educationis.

§. 6.

§. 6.

(*famosus*). In I. G. pariter inter dimissionem & depositionem distinguere solemus, quamvis ultima etiam fieri possit formula, *jedoch seiner Ehre ohnbeschadet.*

§. 7.

(*interdicitur*). In I. G. ex eo tempore, *da die Special-Inquisition erkannt worden*, statim interdictum sequitur seu suspensio a munere publico.

§. 9.

(*in possessionem*). In I. G. loco hujus recepta est coercitio per poenas.

§. 10.

(*mendacium*). In I. G. etiamsi mendacium nullum sit, tutor tamen coërcetur, *dass er nicht zeitig bey dem Allmosen-Amt oder Waisenhauss sich seiner Pupillen wegen gemeldet.*

LIBER II.

Tit. I.

(*pr.*) Omnia, quae hic habet imperator, in I. G. se aliter habent. Taceo, quod ipse imperator, rebus tantopere mutatis tempore illius, nihilominus schemata veteris rei publicae hic sequatur.

§. 1.

(*communia*). Ubi scilicet dominium est nullius, & usus patet omnibus. In subjectis ab imperatore rebus praecipue litigiosum est mare. In I. G nihil ea in re definitur, nisi quod jura maritima Wisbyensia sint antiquissima, quibus usi sunt cives Hanseatici, sed extra Germaniam. Utrum vero dominum maris occupari possit, & olim disputatum fuit, & disputatur etiam nunc. Vulgo distingui solet inter

inter mare & oceanum. Sed hodie pyxide nautica inventa, non dubitant nautae & emporia posse etiam ipsum oceanum occupari, & ejus dominium adquiri pacto convento.

(*litus maris*). Quum litora maris dominos suos habeant, uti & portus, usus etiam pro varietate temporum potest contrahi atque prohiberi, ne quis e. gr. tempore pestis illa accedat.

§. 2.

(*flumina*). In I. G. distinguere solemus inter flumina navigabilia & minora, instar rivorum. Illa referre solemus inter regalia principis, ultima vero etiam privatis pro agrorum vicinia adscibere.

(*jus piscandi*). Etiam hoc in I. G. principis esse solet, quemadmodum etiam protus.

§. 4.

(*usus publicus*). Sed non communis, uti usus maris. Hinc in I. G. hodieque exercere solet princeps *das sogenannte Strand-Recht*, aut etiam ex indulgentia sua subditi, uti in Holsatia. Huc referri potest jus colligendi succinum, quod pariter est principis, exemplo regis Prussiae.

§. 5.

(*litorum*). Idem hoc repeti debet, quod statim dictum; nam uti ripae, uti etiam litora, ceu res a privatis non occupata, principi cedunt quoad propietatem: sic etiam

quoad usum instar accessorii. Atque ex hac ratione nemini licet ex mari se eo recipere, aut casam ponere, quoniam aditus ordinarius in portu patet, ut adeo nefas sit alibi appellere.

§. 6.

(*universitatis*). In I. G. pariter distinguere solemus *die rathhäuslichen Gebäude oder gemeiner Staat zugehörige*, atque deinceps praedia civitatis. Licet enim Romani in moenibus aliquid sancti quaesierint: in I. G. tamen ab hac superstitione non solum recessimus, sed etiam inter Evangelicos res sacras & religiosas non alio censu aestimamus, quam res universitatis.

§. 7.

(*divini juris*). In I. G. Evangelicorum res hujus generis prorsus expunximus. Quod vero Rom. Catholici illarum discrimina servaverint ad imitationem paganorum & Hebraeorum, illud sui commodi caussa fecerunt clerici. Improba quidem sunt principia, sed non ineptae conclusiones adversus, violatores. Apud Evangelicos, mutatis principiis, conclusiones retinuinus, quod tamen valde est inconcinnum.

§. 8.

(*Deo consecratae*). Factum hoc est in I. R. a. paganis auctoritate tribunorum plebis prae-

praeeunte pontifice, unde clarum est, rem hanc non fuisse penes clericos solos, quod in I. R. postea factum recepto Christianismo. Hodieque apud pontificios id se ita habet. Inter Evangelicos opus est consensu principis: quum vero nulla hic consecratio fiat, igitur cessat etiam superstitio, quod templa sint sacra. Hac cessante, sequuntur plura: 1) qui violaverit aut profanaverit templa, ille extra ordinem puniendus, sine igne aut ultimo supplicio; 2) in alienatione idem observandum, quod in alienatione rerum universitatis; 3) cessare hanc superstitionem, si templa vertantur in alios usus, granaria, armentaria, cet. Quod Evangelici fecere sine ullo pudore aut religione.

§. 9.

(*voluntate facit*). In I. G. si veteris scriptores veri sunt, privata sepultura nunquam in usu fuit. Nam hodieque videmus, quod passim in locis subterraneis inveniuntur urnae in magna copia & dispositio ordine, quae satis testantur de usu coemeteriorum. Uti vero in I. R. diis inferis destinata sepulchra: sic pariter exemta sunt sepulchra e commercio hominum. Idem hoc fit in I. R. Cathol. ubi coemeteria pariter instruuntur benedictione, & destinatione alicujus sancti tutelaris. In I. G. Evangelico coemeteria sunt res universitatis, nihilque habent religionis. Inde facile patent decisionum discrimina, quod in I. R. Cathol. cadavera infamium personarum in coemeteriis non

non tolerantur, neque etiam haeretici. Apud Evangelicos autem ineptum est, infamiae aut haereseos caussa alicui denegare sepulturam in in coemeteriis. Abesse etiam debet superstitio, *wenn aus den adelichen Begräbnissen Kirchen-Stübchen gemacht, oder dieselbe sonsten zu weltlichen Dingen gebraucht werden.*

§. 10.

(*nullius*). In I. R. hoc fine muri, portae, viae, limites etiam destinati sunt diis medii generis aut medioxumis, ne scilicet laederentur sub poena ultimi supplicii. In I G. haec superstitio cessat. Interim, ut eo graviores poenae sint, securitas illis adquiritur *durch das Friede-Würken, den Burg-Frieden, Gotteshauss-Frieden.*

§. 11.

(*singulorum*). Olim res singulorum non fuerant, quum patuerint omnibus hominibus orbis universus. In hoc statu non dubie mansissemus ante lapsum. Sed quum post eum meum & tuum tot bella excitare solent & clades: igitur jus naturae correctum, atque modi introducti, quibus mihi rem popriam adquirere possum. Christiani veteres statum ante lapsum instaurare voluerunt; sed crescentibus ecclesiis facile deprehensum, talem societatem consistere non posse, cui omnes res sint communes.

(*mul-*

(*multis modis*). Olim scilicet; nam hodie pauciſſimi ſuperſunt.

§. 12.

(*ferae*). In I. G. hoc falſiſſimum eſt. Nam ferae illius ſunt, in cujus fundo habent tenentque cubilia & nidos, idque ex ratione admodum naturali, quia fundi dominus onus habet alendi. Eſt hoc prorſus ſingulare, & obſervatum rei venaticae peritiſſimis, quod ferae non vagae ſint, ut vulgus credit, ſed cubilia ſua habeant inſtar domicilii. Quapropter in jure venat. qui alterius fundi feras capit, furti reus eſt, diciturque *ein Wild-Dieb*. Quum in I. R. omnes ſilvae pateant univerſis, niſi prohibuerit acceſſum dominus, ingredientem tantum modo convenire poteſt actione injuriarum, non vero captas feras ſibi vindicare. Quod in I. G. eſt nequiſſimum. Vid. *Opuſc. de different. jur. in venatu.*

(*effugerit*). In I. G. in re venatica receptum eſt, *daſs ein angeſchoſſenes Wild in des andern Geheg verfolget werden mag, jedoch ohne das Jägerhorn zu gebrauchen, einen neuen Schuſs zu thun, oder die Hunde zu hetzen.*

§. 13.

(*non capias*). Sed I. G. favent priori opinioni, quod fera in fundo meo mea ante fuerat, quam eam vulneraſſem.

§. 14.

§. 14.

(*apum*). In I. G. hoc falsissimum. Nam duplicis generis apes habemus, *zahme und wilde*, *welche letztere die ersteren überwältigen.* Sed I. R. excusari quodam modo potest, quoniam in calidioribus climatibus apes in silvis agunt, quemadmodum etiam hodieque in Prussia.

§. 15.

(*nec ad rem*). Sed tamen imperator axioma proposuit, si duplicis generis ejus modi animalia reperiuntur, argum. §. 16. Hinc in I. G. pavones & columbas, siquidem conspectui nostro se subduxerint, nihilo minus solemus vindicare, & eum, qui aufert, furti accusare.

§. 16.

(*intelligere*). In I. G. hoc pariter est verum.

§. 17.

(*ex hostibus*). In I. G. hoc iterum cessat, nam quae ex hostibus capiuntur, cedere solent principi, cujus impensis bella geruntur. In I. R. enim milites propriis sumtibus militaverant, adeoque spolia illis cesserant. Ceterum in. I. R. etiam miles victor terram devictam suam fecerat, licet sub nexu perpetuae militiae, siquidem terrae fuerant limitaneae seu limitrophae. Ejus rei loco in I. G.

I. G. feuda ſunt, & vaſalli, i. e. ſervi militares.

§. 18.

(*jure nat.*) In I. G. naturale hoc jus prorſus ſublatum, nam ejus modi lapilli, gemmae, cet. ſi a privato occupentur, graviorem poenam habent, quam ſimplicia furta.

§. 19.

(*animalibus*). Sic etiam ſe res habet non ſolum in foetura animalium, ſed etiam in canibus venaticis. Sed ultimum in I. G. ceſſat ob actionem vindicatoriam ſupra expoſitam.

§. 20.

(*per alluvionem*). In I. G. etiam hoc controverti ſolet. Ratio eſt, quoniam omnes agri certa menſura diſiniti ſunt, ut adeo, quod ſupereſt, habeatur pro re nullius, cedatque principi.

§. 21.

(*vicini fundo*). In I. G. reſpicitur, quod modo dictum, ejus modi coalitionem obeſſe priſtino domino, ſed non prodeſſe vicino, ob I. G. axioma, quod ſuperflua quaeque cedant principi.

§. 22.

(*inſula*). In I. G. hoc ceſſat, quia Germania mediterranea eſt regio. Sed tamen hodie-

hodieque admodum disputatur, utrum insula forte a privatis mercatoribus detecta & occupata illis cedat? Quod ego omnio affirmaverim, nisi alter probet dominium maris.

(*communis est*). In I. G. acerrimae hic lites, nam principes jus insularum referre inter regalia solent, idque ex caussa dominii in flumen ipsum. Sed vero, si aequitatem respicias, omnino durissimum est, vicinos, quibus de terra sua aliquid decessit, insulae dominio destituere.

§. 23.

(*prope ripam*). Sed in I. G. hodierno relictus alveus fisco cedit, quod nihil est novi, quum passim habeamus exempla *der sogenannten alten Elbe und des alten Rheins.* Sed durissimum est, novum alveum lucrari, & veteri alveo distituere vicinos possessores. Vid. *die Magdeburgische Teich-Ordnung.*

§. 24.

(*recesserit*). Sive per se, sive per industriam *durch das sogenannte einteichen.* Nisi quis impensas solvere nequit, tum enim res habetur pro derelicta, & principi cedit, quod careat domino. Novissima exempla Frisiae orientalis habuimus.

§. 25.

(*reduci possit*). Hoc axioma nullo idoneo fundamento niitur. Hinc in I. G. aequitate suc-

ſuccurente fundamentum in pretio requiritur. Quodſi enim operae pretioſiores, quam materia, exiſtimari ſolet, rem cedere ſpecificanti: contra ſi materia in pretio vincat operas, domino cedit materiae.

§. 26.

(*purpura*). In I. G. purpura pretium auri aequavit, ſi non exceſſit. In I. G. hodie vel purpura prorſus deſideratur, de quo in *Opuſc. de re baſiaria*, vel minimi eſt pretii. Interim ratio decidendi hic eadem, quae in §. 29. Ceterum Germani non purpura diſtinxere principes, ſed vellere hermelino. Quapropter reges in I. G. dicti ſunt *pelliti*, in I. R. *purpurati*.

§. 27.

(*communem eſſe*). Sane potuiſſet imperator hoc fundamento diciſionis in reliquis etiam ſpecificationum generibus uti. Inſtituto enim judicio communi dividundo non difficile fuiſſet, pretia rerum & operarum invicem contendere. Anno 1709. reſpondit ICtus quidam ex hoc principio cauſſam litigioſam inter Pruſſiae regem & ſalinatores Halenſes, *wegen der in einander gemengeten Salz-Koten, daſs Königl. Majeſtät ihren vierten Theil der Koten von der ganzen Pfännerſchaft überhaupt fordern könnten.*

§. 28.

(*pecoribus*). Interpretes hic titubant: mihi res clara videtur, si casus distinxeris. Aut enim pecora in una grege commixta discerni & internosci possunt, aut minus. Si ultimum, decisio imperatoris locum habet.

§. 29.

(*duplum*). In l. G. hoc cessat, quia exsulant actiones in duplum, triplum, cet. Quodsi enim dolo ea in re peccetur, mulcta judici cedit, & pars tantum accipit, quantum pretium est rei illius, quam amisit.

§. 30.

(*alieno solo*). Casum respondimus, ubi maritus aedificaverat in area uxoris dotali. Uxor ex hac paragrapho sibi vindicaverat aedificium: contra mariti heredes urserant ob pretium aedificii, ut area huic cederet. Respondimus pro uxore, ut domum retineret restituto pretio.

§. 31.

(*radices*). In praxi attenditur id inprimis, si planta sine periculo possit eximi, quamvis egerit radices. Deinde, si in urnis fuerit, tum certe ex adverso est sentiendum.

(*radices egerit*). In l. G. ramos arboris respicimus, quorum umbrae agrum ea parte sterilem reddunt, in Italia vero parum obsunt plantis.

§. 32.

§. 32.

(*solo cedunt*). In I. R. hoc facilius fieri poterat, quia terra ibi uno semestri bis, ter, aut pluries coli potest & conseri Quare in I. G. exceptionem addunt, *wann* dem domino agri *nicht sehr daran gelegen, dass der Acker umgepflüget, und mit anderen Früchten bestellet werde.*

§. 33.

(*membranisve cedunt*). Omnes interpretes hic coccutiunt. Nam accusant imperialem decisionem iniquitatis, quum scriptura praestantior ut plurimum vilissima plagula chartae. Sed in I. G. scire debemus, chartam ex contusis linteis praeparatam in I. R. incognitam prorsus fuisse, ubi papyrus, charta, & membranae multi pretii fuerunt. Quapropter non iniqua est decisio imperatoris intuitu chartae sui aevi. Quod tamen imitari in I. G. esset iniquissimum. Conf. *Diurni Halenses von Erfindung des Lumpen-Papiers.*

§. 34.

(*ridiculum*). Recte imperator ridet contrarium; sed eodem nos jure ridemus ejus decisionem §. 33. nisi diversitas rerum caussam decisionis nobis aperiret.

§. 35.

(*consumtis*). Ratio haec est, quoniam possessor b. f. pro ratione redituum vivit ex

penditque, ut adeo durum sit, fructus ab eo requirere nisi exstantes. In I. G. uti operae agrorum longe difficiliores sunt, ita computus etiam sic institui solet, *dass das dritte Korn auf die Arbeit und andere Unkosten zu rechnen.*

§. 36.

(*fructibus*). In I. R. fructus pendentes habentur pro parte fundi. Aliter in I. G. ubi fructus ejus sunt, qui agrum coluit, *was die Egge bestrichen, das ist von dem Besitzer bestellet worden.* Ratio est, quod agri in Germania difficilius coluntur, quam in Italia.

§. 37.

(*partus ancillae*). Quum servi & servae in I. G. habeantur pro accessoriis fundi, adeo, ut etiam praedia vendantur sub hac formula, *cum decem servis & quinque servabus*, non video, quare non idem de ancillis dici debeat, quam de fructu animalium. Ratio ab imperatore addita frivola est, quum ancillae dominorum caussa sint, adeoque cesset naturalis status in hoc civili.

§. 38.

(*submittere*). Hodieque hoc jure utimur. Hinc in tali casu dici solet, *das zum adelichen oder Pfarr-Hofe gehörige Vieh sey eisern.* In arboribus autem plerumque numeri addi sosent, adjecta lege definiti, *wie viel er wieder anbauen*

anbauen ſolle. Quodſi tamen caſus intervenerit, ille domino nocet, non fructuario.

§. 39.

(*invenerit*). In Germania regula obtinet, *daſs alles, was tiefer liegt, als die Pflugſchar gehet*, ad regalia *gehöre*, cum reliquis ſubterraneis rebus. Neque dubium eſt ex eodem hoc fonte mineralia fiſco aujudicari, licet fiſcus raro ipſe metallifodinas eruat, ſed conferat *denen Gewerken* ſub canone metallario, i. e. decimis, *und daſs dem Landesherrn eine oder mehr Kuxen anzubauen frey ſtehe.* Licet vero ultimum hoc non ſit iniquum, quamvis in I. R. metalla pro acceſſoriis habita fundi ipſius. Quod tamen de inventione theſauri in gratiam fiſci habetur in I. G. illud videtur omnino iniquum. Ut adeo plerique ICti ex I. R. faciant cum inventore Caſum nuper decimus in *Diurnis Halenſibus.*

§. 40.

(*volentis*). Si nuda voluntas ſufficeret, non opus eſſet jure poſitivo. Verum quum multae lites inde venerint, an voluntas fuerit ſincera, ideo in I. R. addita ſunt ſchemata in oculos incurrentia per mancipationem & & emtionem concurentia. In I. G. acceſſerunt alia, 1) quod traditione extrajudiciali dominium non transferatur, neque in allodialibus, neque in feudalibus, 2) quod inſertione opus ſit, (*daſs der neue Beſitzer in*

das Stadt - oder Land - buch eingetragen werde).

(*eodem modo*). Quod etiam hodie fieri solet in I. G. nisi addideris hoc, quod feudalia praedia non nisi domini & adgnatorum consensu alienentur; dein, quod in praediis rusticis pretium determinare solet camara aut praetor rusticanus, caussa addita: *dass die steuerbare Güter nicht allzuhoch dem Werthe nach zu verkaufen damit sich nicht der neue Besitzer in Schulden setze, und unvermögend mache, die gemeine Anlagen abzutragen.*

(*Italica praedia*). Ipse miror, quod imperator scribat, se hoc discrimen sustuliisse, nam Italia & Italica praedia in manibus Gothorum fuerant, amissis immunitatum privilegiis. Sed respexisse imperator potuit ad praedia Constantinopoli vicina, quam novam Romaniolam dixerunt. In I. G magna differentia est inter tributaria praedia rusticorum & feudalia equestria tributis exemta. Verum istud discrimen inter bonitarium & proprietarium dominium est in I. G. valde inconcinnum. Nam in praediis etiam feudalibus equestribus proprietas desideratur, i. e. plenum dominium, licet tributis illa exemta sint.

§ 44.

(*claves*). Licet in I G. receptum, ut in judicio conjuges sibi invicem geradam & res expeditorias per claves tradant; ad transferendum

rendum tamen alicujus domus dominium traditio clavium non sufficit. Olim in I. G. receptissimum fuit in traditione dominii uti effestucatione, *daß ein Rasen im Felde ausgestochen, oder aber im Walde ein Zweig abgeschnitten, und dem Käufer übergeben worden.* Hinc in alienatione ecclesiae facta donator glebam vel furculum in altari posuit.

§. 45.

(*jactant*). In I. G. olim illud evenire non potuit in tanta auri argentique inopia, sed ejus loco sparsa & derelicta alia rerum genera plura e. gr. vinum, fruges, boves, cet. Nuper quaesitum est, an legati in alieno territorio spargere possint nummos? deinde, an idem liceat subdito in honorem principis? quod Viennae receptum esse constat.

§. 46.

(*pro derelicto*). Dummodo vel constet de animo derelinquendi, aut, si hoc praesumi debet, alter non doceat contrarium, e. gr. si quis munimentum dereliquerit educto praesidiario milite ad numeros in exercitu adaugendos. Quapropter errant, qui derelictionem cum praescriptione confundunt. Illa juris naturalis est, haec non item.

§. 47.

(*furtum*). Sed hae leges fuerant Rhodiae; in I. G. sequimus leges Wisbyenses, ubi

jure ordinario obtinet *das Strand-Recht*; quod alibi est privatorum, alibi principis.

(*currente*). Vel si amiserit rem quomodocumque ubi in I. G. definiri solet *ein gewisses Findlohn*, praesertim si ille, qui damnum passus est, magistratus auctoritate hoc publicet per diurnos (*durch die Intelligenz-Zettels*).

Tit. II.

(pr. *tangi possunt*). Rectius res incorporales dicuntur *intelligibiles*, corporales autem *sensibiles*. In I. G. vocabula desunt ad hanc differentiam exprimendam, quamquam haec differentia etiam re vera inutilis. Nam licet homo, fundus, & vestis res corporales sint, & ad physicam pertineant: jus tamen in fundum, hominem, vestem, est tantum intelligibile, non sensibile. Utilior distinctio inter res mobiles & immobiles, dividuas & individuas, principales & accessorias, fungibiles & non fungibiles; ubi magna seges controversiarum. Sedulo tamen cavendum, ne sensus vulgares ICtum decipiant, e. gr. immobiles & mobiles res dicimus *liegend und fahrend*; sed *Mobilien* longe alium sensum habent, quem *Meublen* in vernacula.

Tit.

Tit. III.

(*servitutibus*). In I. G. quidam servitutes in vernacula dicunt *Dienſtbarkeiten;* ſed mallem, *Beſchwerungen.* Requiri ſolet in I. G. an regalia aeſtimari debeant jure ſervitutis? Quod omnino negandum, quoniam regalia praſumuntur, ſervitutes probari debent.

(pr. *ruſticor. praedior.*) In I. R. praedia vel urbana, vel ruſtica ſunt: ſed in I. G. vocabulum *Güter* non de utraque re accipitur, adeoque diſtingui debent *die Beſchwerungen auf den Feldern von den Beſchwerungen auf den Gebäuden.*

(*iter*). *Das Pfad-Recht, Fuſs-Steig*, eſt generis multiplicis. In plerisque locis, ubi ire poſſum, poſſum etiam equo vehi, niſi libertas fuerit reſtricta, vel *durch die Dorf-Ordnung*, vel uſu. Sunt etiam itinera vel ordinaria, vel extraordinaria, veluti *daſs der Weg nur zur Erndte-Zeit, oder bey hoch angelaufenem Waſſer eröfnet* wird.

(*actus*). *Die Triſt*, a quo differt *die Hut.*

(*via*). In I. G. vocabulum *Weg* etiam de itinere adhibetur. Via eſt vel privata, vel publica, *die Heer-Straſse*, quae ultima inter regalia principis, propter quae onera ſolvi ſolent vectigalia. Quod de itinere dictum, de

via repetendum, extra ordinem quoque indulgeri *ein Holz-Weg, Dorf-Weg*, cet.

(*aquaeductus*). Quum in I. G. haec subterranea sunt, referri solent inter regalia. Hinc dubitatum, utrum sine principis consensu aquaeductus fodi posset in gratiam orphanotrophei Halensis, praesertim quia fontes vicini exaruere! Conf. Sueserus (Anspacensis) *von Dienstbarkeiten auf dem Lande*, Leyserus *de jure colonario*, & passim *die Dorf-Ordnungen.*

§. 1.

(*aedificiis*). In I. R. aedificiorum contextus ruri non habetur, nam vici & pagi in aliis regionibus spatio disjecti sunt, ut quaelibet domus agro vicina sit. In I. G. contra se res habet, quod etiam pagi in rusticanis praediis solent aedificiis cohaerere.

(*onera vicini*). Hoc in I. G. novissimis constitutionibus prohibitum, quemadmodum etiam *das sogenannte Tramm-Recht* ad cavendum incendia. Constitutio regis Prussiae fuerat, *dass über alle drey Häuser eine Brand-Mauer geführet werden solle.* Quas leges privatus migrare nequit.

(*stillicidium*). Ea de re multae lites in climatibus pluviis.

(*cloacam*). In I. R. regula fuerat, ut cloaca in tantum abesset ab aedibus vicini, in quan-

quantum illa profunda fuerat; nam cloacae muris concluſae fuerant. In I. G. hoc non attenditur, ſed opus eſt, ut cloaca ab aedibus vicini quatuor pedes abeſſet. Sed neque hoc ſufficit, quia peſſimo more, praeſertim in urbibus, cloacae patent, adeoque ad foetorem prohibendum alter agere poteſt, & referre id debet ad jura ſenſuum, de quibus Stryckius.

(*altius*). Hoc quidem in I. G. raro fit. Sed illud eſt non adeo infrequens, ut aliquis cum altero conveniat, ut altius aedes ſuas tollet, ad cohibendam tempeſtatem adverſam. Ceterum diſputant de lege, ne quis altius tollat, an exſtiterit? De I. G. dubitari nequit, exemplo regis Pruſſiae in Berolinae urbis novis aedificiis.

(*luminibus*). Nam quilibet poteſt in area ſua aedificare, & lumina obſcurare ſui vicini. Et ideo caveri ſolet duplici genere ſervitutis, 1) ne luminibus, 2) ne proſpectui officiatur. Servitus autem luminum eſt jus feneſtram aperiendi in alterius muro.

(*coquendae*). Hoc quidem, uti reliqua ſubterranea, referre ſolent inter principis regalia, *Wohin auch das Salpeter-Sieden gehöret.*

§. 3.

(*non poſſunt*). Quodſi enim conſtituuntur, degenerant in ſervitutes perſonales, e. gr.

Wenn

wenn ein Officier auf des Edelmanns Feldern sich der Jagd bedienet.

§. 4.

(*pactionibus*). Etiam nudis pactis in I. G. dummodo interesse publicum non laedatur.

Tit. IIII.

(pr. *usus fructus*). In I. G. feudali inter servitutes personales novo instituto referri solet dominium utile, quod toto caelo differt ab usufructu. Nam dominus utilis ipsam rei substantiam vertere potest in aliam formam, quod non licet usufructuario. Ille in abundantia ligni silvam excidere potest, nisi alius habeat jus venandi; hic non item. Dominii utilis vocabulum ignotum in I. R. neque concinnum verbo dominii bonitarii & Quiritarii.

§. 1.

(*proprietate*). In I. G. dominium utile dicimus *das nutzbare Eigenthum*, directum *das Ober-Eigenthum*. Discrimen inter usumfructum & usum in vernacula vix clarum usu vulgi, licet illum dicamus *die Nutzung*, hunc *den Genuss*,

(*inutiles*). In I. G. illud rarum est, nam emphyteutici agri plerumque sunt censuales, &

& feudales ſtipendiarii, ut adeo non fruſtra ſit proprietas.

§. 2.

(*veſtimenta*). Dummodo non ſint talia, quorum datur uſus ſalva ſubſtantia, e. gr. lugubria, comica, cet.

(*utiliter caveatur*). Etiam in I. G. Dubitant de parentibus, ſi his uſus fructus competit bonorum vel patris demortui, vel matris defunctae. Putaverim videndum eſſe, an parens in ſuſpicione ſit dilapidationis.

§. 3.

(*conſumtae*). Quod aliter ſe habet in emphyteuſi & feudis, ubi dominum utile etiam in area conſervatur.

§. 4.

(*plenam*). In I. G. hoc fieri nequit intuitu *der landſäſſigen Leben.* Nam provincialia ſtatuta cohibent dominum, *daſs er die adelichen Güter nicht auskaufen möge.* Prohibentur etiam ipſi nobiles a conſolidatione, *daſs ſie die ſteuerbare Aecker nicht zum Ritter-Gut ſchlagen müſſen.*

Tit. V.

(pr. *illis modis*). In I. G. uſus ſaepius confunditur cum jura praecarii, *bis auf Wiederruf*, quod fieri nequit in uſufructu.

§. 1.

§. 1.

(*alii jus*). Dubitat Schilterus, an in I. G. differentia sit inter usum & usumfructum. Res ipsa satis distincta, quod intelligere licet ex jure lignandi. Inde nuper decidimus, *daſs ſich die Gemeine an dem Brenn-Holz zur Nothdurft zu begnügen, anderen aber ſelbiges zu verkaufen nicht befugt.* Immo ne usus degeneret in abusum, inter duos nobiles decidimus, *daſs Beklagter ſich der Holzung nach Nothdurft zu bedienen, und die angelegte Camine, welche in hieſigen Landen bey der Theurung des Holzes nicht üblich, abzuſchaffen ſchuldig ſey.*

§. 5.

(*locare*). Haec deciſio in I. R. est iniquiſſima. Casum respondimus, quo pastori ecclesiae negavimus *das Prieſter-Hauſs einem Charten-Macher zu vermiethen.* Nam aedes parochiales ob templi viciniam alios habitatores non tolerant, quam clericos. Porro disputatum, an, habitatione legata, legatarius possit requirere usum *der Stallung, Scheune und Brauhauſes?* quod ei pariter est negatum.

Tit. VI.

(pr. *jure civili*). Hoc probe notandum, nam exsulat praescriptio, & multo magis usucapio, in l. N. Est enim poena negligentiae: sed poenam ab altero sumere non licet, nisi in statu civili.

Italico

(*Italico solo*). Erat enim consultissimum, Italica praedia, quorum dominium Quiritarium a reliquis extra Italiam distinguere, in quibus fuerat bonitarium, quaeque in nexu onerum & tributorum. Deinde etiam brevius obtinuit tempus, ne fundi Italici vel inculti manerent, vel dominia in incerto. Sed imperator, Italia prius a Gothis erepta, discrimen sustulit. In I. G. commodiori longe vocabulo rem exprimimus *durch die Verjährung*, quam in I. R. per usucapionem aut praescriptionem, i. e praeclusionem.

(*defraudentur*). In I. G. unica nobis praescriptio est triginta annorum, quam perperam juri Saxonico soli adscribunt. Nam investigatione instituta reperi, quod ea per omnem Europam locum habuerit. Ratio in I. G. est, quod triginta anni efficiant saeculum.

§. 1.

(*rem sacram*). Hac exsulant in I. G. adeoque vel triginta anni sufficerent, vel ex ratione juris communis quadraginta anni ob favorem rei ecclesiae. De servo fugitivo res dubia, sed non iniquum, si hoc usu quoque stemus I. R. praesertim in milite fugitivo, qui semper potest vindicari, si furtum sui fecerit.

§. 2.

§. 2.

(*furtivarum*). In I. G. in favorem Judaeorum & Lombardorum (*der Leih-Hauſer*) cautum, quod etiam res furtivas praeſcribant, niſi denuntiatio facta fuerit publice in templis, vel in publicis ejus provinciae diurnis.

§. 4.

(*fiſci noſtri*). In I. G. bona menſalia episcopi aut principis nulla ratione praeſcribi poſſunt. Nam provinciae ordinum ſunt ejus modi bona quoad proprietatem, & principis tantum quoad uſum fructum aut utile dominium. Jubet hoc non ſolum ratio, ſed & conſtitutiones imperatorum, praeſertim Caroli IIII. *deſs die zum Fürſtenthum gehörige Cammer-Güter wieder herbey zu ſchaffen, und desfalls keine Verjährung ſtatt haben möge.* Fruſtra ergo quidam latibulum quaerunt praeſcriptione immemoriali.

§. 7.

(*coeperat*). Illud vero in praxi I. G. admodum diſputatur, utrum b. f. heredis proſit ei, ſi anteceſſor fuerit in m. f. Alii hoc affirmant, alii negant; nos accedimus claſſi negantium.

§. 9.

(*fiſco*). Dummodo fiſcus haheat jus alienandi; nam res domaniales a fiſcalibus longe ab-

sunt. Nam in feudis apertis, bonis caducariis, jus alienandi nemo negat principi, licet sub poena nullitatis prohibita sit alienatio domaniorum.

(*aerarium*). Olim aerarium a fisco pariter abfuit longissime, quod aerarium reipubliae, (*die Lanasschafts-Casse*), fiscus *die fürstliche Cammer oder Renthey* esset. Sed plures principes pernicioſissimo consilio utriusque jura solent commiscere.

(*augustae*). In I. R. Caesaris uxor ideo non erat augusta, sed opus erat peculiari declaratione & adoptione in augustalem familiam. In I. G. inter augustam unctam & non unctam nullum supereſt discrimen.

Tit. VII.

(pr. *adquisitionis*). Olim hoc verum fuerat: sed nunc donationum duplex genus, unum consistit in simplici promissione, alterum in traditione & acceptione corporali non verbis facta; usque dum ICi decepti sunt utriusque generis confusione. Nam leges ante Justinianum loquuntur de donatione ceu modo adquirendi, ubi acceptatione omnino fuerat opus. Contra non opus est eadem in donatione, quae modum constituit obligandi. Discussimus hunc errorem & scholis & curiis communem in *Opusc. de different. in donat. & barbaro adnexu, acceptilatione.*

§. 1.

(*mortis sit*). In praxi forensi contentiosum, ex qua formula debeat internosci donatio inter vivos & mortis caussa. Mea opinione sola mortis cogitatio non sufficit. Interim in I. G. ubi donationes per ultimam voluntatem illicitae, requiri solet a donatore rectae valetudinis specimen, n. gr. in jure Lusatico *von einem Edelmanne der sogenannte Vorrit mit einem muthigen Hengst; von einem Bürger ein Zwey-Kampf; von einem Bauer die Umpflügung des Ackers; und von einem Weibe der Kirchgang.*

§. 2.

(*revocari*). In I. G. in mores ivit, *dass die Bauren, wenn sie nicht mehr fort können, ihren Kinderen die Güter abtreten* instar donationis omnium bonorum, quod princeps etiam urget, ne agrorum cultura negligatur. Sed plerumque donatio fit sub modo, ut donator ex re donata habeat, quantum pertinet ad victum & cultum. Quod si donatarius filius se ingratum exhibuerit, eripi ipsi possunt bona, quem casum nuper respondimus.

(*manifestaverit*). Ad donationem ergo nihil pertinet, quam manifestatio suae voluntatis: sed barbari ICti adsumserunt acceptationem verbalem contra intentionem impetatoris. Prudentiores decepti sunt legibus in Codice, quae tamen respiciunt ad donationem, qua-

quatenus est modus adquirendi, non vero, uti hic quaestio est, modus obligandi.

(*solidos*). In I. G. aestimanus hos ducatis nostris, sed magis usu, quam ratione, quod Justiniani tempore aurei superarunt nostros aureos. Quaeritur, an principum donationes opus habeant insinuatione? Adfirmat hoc Brunnemann. *Consil.* 1. ubi electoris Brandenburgici donationem Caesari non insinuatam infirmare voluit in gratiam principis debitoris. Sed hoc valde ineptum, quum insinuatio non principibus, sed subditis praescripta esse videatur.

§. 3.

(*propter nuptias*). In I. G. hic magna diversitas a I. R. Nam in I. R. maritus praeter dotem nihil habuit: sed in I. G. maritus est usufructuarius in paraphernis, nisi uxor in pactis dotalibus sibi prospexerit. Taceo, quod I. G. universim obtinuerit communio bonorum inter conjuges; obtinetque adhuc dum in plurimis locis. Porro in I. R. donatio propter nuptias fiebat in dotis securitatem; sed in I. G. antidos (*ein Gegen-Vermächtniss*) plerumque conjuncta est cum lucro post mariti mortem. Vid. *Opuscul. de dote mariti, de dotalitio*, cet.

(*adcrescendi*). In I. G. id evenire solet in feudis, si duo vasalli de uno feudo investiti.

Tit. VIII.

(pr. *dotale praedium*). Ceſſat hoc in I. G. in locis, ubi communio bonorum inter conjuges obtinet, nam ibi factum unius conjugis alter praeſtare tenetur. In I. R. illud noxium videbatur ob metuenda divortia: in I. G. potius e re eſt regulam ſequi, *wenn ich meinen Leib gönne, dem gönne ich mein Guth.* Quod conducibile, maxime in emporiis.

(*in perniciem*). Equidem reprehendunt hoc alii, quod uxor per donationem propter nuptias jam ſecura ſit. Sed praeſtat, rem ſalnam habere, quam poſt quaerere remedium. In I. G. ejus modi alienatio & hypothecatio nihilo minus locum habet, 1) ſi intervenerint ſollemnia, 2) ſi fundus dotalis aeſtimato datus.

§. 1.

(*diſtractio*). Eodem jure & nos vivimus, ita tamen, ut praecedat tractatio & citatio debitoris ante ſubhaſtationem. Nam proprio arbitrio creditor quidem pignus cedere poteſt, alienare non poteſt.

Tit. VIIII.

§. 1.

(*pervenerat*). In I. R. olim poteſtas patris in liberos eadem, quae in ſervos, quibus nulla rerum proprietas. Sed poſtea militiae fauore

fauore & litterarum peculiis bona liberorum parentibus subtracta sunt. In l. G. omnia haec cessant, nam liberi apud nos nullo non tempore jus adquirendi habuerunt sive operis, sive fortuna, e. gr. in bonis maternis. Accedit, quod eo momento, quo se sustentare possunt, patriam potestatem deserere queant. Nec inter patrem & matrem ulla hic differentia. Casum nuper respondimus, *dass ein Handwerks-Geselle von seinem Vater nicht gedrungen werden möge als Geselle zu arbeiten, wenn er Gelegenheit hätte, Meister zu werden, oder seine eigene Handthierung anzufangen.*

§. 3.

(*servi nostri*). In l. G. alteri licet stipulari. Id vero non ferendum, notarios publicos in donationibus acceptare posse, quoniam servi sint communes.

§. 4.

(*procuratorem*). In l. G. illud est singulare, quod procuratori opus sit mandato typis expresso; *daher die Volmachten bey uns verpachtet worden.* Deficiente vero tali formula advocatus pecuniam deponere debet, additis verbis, *in Ermangelung eines gedrukten Mandati, welches zu suppliren*: Deinde in l. G. aliquibus in locis idem est procurator, qui advocatus, alibi diversi, nec confundere licet haec munera sub poena mulctae.

(*universitatem*). In I. G. illud caveri debet, ne existimemus, principem successorem in universo principatu ejusque accessoriis, esse successorem universalem, i. e. heredem; quoniam princeps succedere potest antecessori, & nihilo minus ab ejus hereditate abstinere.

Tit. X.

(pr. *testamentum*). Utinam I. G. viveremus, quod testamenta prorsus ignoravit. Nam heredes ab intestato jus quaesitum habuerunt in successione. Huic contravenire nefas erat. Qua propter etiam in I. G. technicis vocabulis destituimur. nam vox *Erben* innuit heredes naturales, & vox *letzter Wille* adscititia est ex I. R. Idem hodieque verum est in Anglia, Holsatia, Geldria, & forte alibi, ubi testamenta vel prorsus prohibita, vel saltim in immobilibus; ut adeo opus esset indulgentia principis & heredum ab intestato. Idem forte dicendum in I. N.

§. 1.

(*comitiis*). Respiciendo ad statum popularem, penes quem summa rerum. Ex quo enim res publica Rom. venerat sub potestatem unius, princeps vice populi fuit in indulgenda testandi facultate.

§. 2.

(*emancipatio*). Est re vera perridiculum, quod ejus modi schemata inania toties verterint

rint torserintque huc, illuc. Quod in I. R. ideo factum, ne multitudo civium mutatione legis ipsius offenderetur. In I. G. tales lusus non habemus, nam major justitiae ratio, quum plebis, est habenda.

§. 3.

(*tempore*). Caussa est, quoniam conventus comitialis omnium praesentiam requirit simul, ut unus alterius rationes audire possit. Haec in I. G. requiruntur etiam nunc, sed inepte.

(*signacula*). In I. G. sigilla admodum differunt a Romanis. Nam I. R. ignorat sigilla gentilitia, ignorat sigilla publica auctoritate indulta, potius cujusvis arbitrio relictum, quo idolo vel philosophi, vel deastri, vel Caesaris vellet uti. In I. G. ejus modi signacula nihil haberent inepti, si tantum requirentur *von siegelmäsigen Leuten*; quod enim requirantur a rusticis & plebe, illud omni rationi adversum, praesertim si addatur formula, *in Ermangeluag meines eigenen Pettschafts.*

§. 5.

(*sculptura*). In I. G. injuriarum accusatur, qui alterius sculpturam aut heraldicum idolum adfectat.

§. 6.

(*testamenti factio*). Clarius: 'qui habilis est conventuum comitialium. Unde causa demum luculenta est quare mulieres, impuberes, servi excludantur. In I. G. hoc iterum magna superstitione servatur. Sed quum in I. G. feminas non arcemus a comitiis, neque a judiciis, exemplo *der Gerichtsfrauen oder fürstlichen Regentinnen*, etiam secundum rigorem juris Rom. feminae admitti possent testes.

§. 7.

(*servus*). In I. G. haec cessant, quoniam homines proprii & testamenta faciunt, & iis subscribunt tamquam testes.

§. 12.

(*in chartis*). In I. R. charta lintea non fuerat inventa, adeoque chartae vocabulum potius adhibitum fuit de foliis florum aut herbarnm Aegypti. Neque membranae tum ita a sordibus purgari poterant, ut aetatem ferrent. Hodie post chartam linteam aliae porro materiae in usu non sunt, adeoque leges mutari debent nostro aevo, quae imponunt notariis necessitatem, in instrumentis suis non alia materia uti, quam membrana.

§. 13.

(*codicibus*). Codex est compages plurium tabularum, & tabulae distinctae sunt in certas

certas margines, primam, mediam, & infimam. Hinc philologorum acerrima contentio de subsignatione & subscriptione testamentorum, qua de re Salmasius insignem libellum scripsit, cui malevolo calamo respondit Heraldus, de quo in *Vita Justin. cap.* 8. §, 63. In I. G. hodie plagulis utimur complicatis, & complicatis filo. Quod filum si quo casu ruptum fuerit, id vitium habetur pro visibili, adeoque cavendum est, non solum ut pagellae integrae sint, sed & fila, ne quod folium insuatur supposititium. Vid. *Diurn. Halens. von Erfindung des Lumpen-Papiers.*

Tit. XI.

(pr. *imperitiam*). Hoc in I. R. dici vix poterat, quum nemo excusaretur a militia, nec in civili munere promovebatur, nisi ante expediviſſet definitos numeros in militia. Ut adeo favor potius requiri debeat a periculis & oneribus militaribus. In I. G. hoc pariter est in usu. Illud tamen maximopere disputant, utrum principibus vasallis testari liceat privilegio militari? Mea sententia hoc esset absurdissimum, quia privilegium militare finitur expeditione militari. Quid ergo dicendum de principum vasallorum Testamentis. Ego putaverim, illos supra leges esse, adeoque juribus uti augusti & augustae.

(*voluntas*). In I. G. regis Prussiae institutum fuerat hoc, quod testamenta in Marchia Brandenburg. fieri possint coram duobus Testibus & notario publico. Sed illud est in I. G. admodum singulare, quod suo tempore Schurfius IC. Vitembergensis, scribit, moribus in Germania, praesertim in Misnia, receptum esse, quod testamenta sustineantur coram parocho & duobus testibus facta, idque auctoritate juris canonici, ante recepti in Germania; quam receptum esset jus civile.

§. 4.

(*nova militis*). Est hoc etiam in I. G. receptum, ut milites testamenta scribant, atque secum in expeditionem militarem sumant, *damit, wann sie in der Schlacht bleiben, ihr letzter Wille kund und gehalten werden möge.* Ubi alii perhibent, tempora & loca respicienda esse, quando & ubi conditum testamentum. Quod ego non putaverim, *weil ein Soldat, indem er das Testament zu sich sticht, und mit ins Feld nimmt, dasjenige dabey thut, was hieselbst ad novum militis testamentum erfordert wird.*

Tit. XII.

(pr. *non tamen*). In I. G. neque rusticis, neque hominibus propriis interdicta sunt testamenta. In peregrinis hodie in I. G. pariter hoc

hoc est verum. Sed olim, ubi jus wildfangiatus & albinagii receptum fuerat, testamenti factio & activa & passiva illis interdicta fuit. Praeterea quum filii familias in I. G. ipso jure emancipentur post majorennitatem, casus rariores sunt, quare filii familias nequeant testari. Immo quum potestas patria I. G. tanta non sit, etiam illis interpretibus accedo, qui putant, filium familias, dummodo usu rationis polleat, testari posse de bonis adventitiis omnibus, etiam invito patre.

§. 1.

(*animi judicium*). In I. G. usum rationis respicimus, nequidquam numeros annorum definitos.

(*furor intermissus*). Sed tamen praesumitur animi deliquium perpetuum. Interim ICtis illis non accedimus, qui negant furoris intervalla. Nam hoc non ICti est, sed medici.

§. 2.

(*prodigus*). Non in sensu morali, sed civili. Difficile enim est distinguere liberalitatem a prodigalitate, ut adeo sententia judicis opus sit.

§. 3.

(*certis casibus*). Est hoc omnino numerandum inter portenta saeculi, quod natura surdus

surdus & mutus potuerit nihilo minus animi sensu scribendo exprimere. Idem ille nobilis in Silesia etiam testamentum condidit, quod ex haec caussa subsistit ratum.

§. 5.

(*apud hostes*). In I. G. hoc cessat, quia captivi non fiunt servi. Memini plurium testamentorum, quae Suecici milites & officiales fecerunt in Russica captivitate exsilioque in Siberia. Sed his addere debemus ex usu juris nostri 1) haereticos, 2) monachos, 3) Jesuitas, & 4) sacrae militiae equites. De feminis quaestio etiam esse posset tam in I. R. quam in I. G.

Tit. XIII.

(pr. *potestate habet*). In I. G. hoc unum idemque est, *ob das Kind bereits ausgestattet, oder noch in väterlicher Gewalt stehe*, quos liberos dicere solemus esse in casa patris. Extranei tamen liberi (*die ausgestattete Kinder*) conferre tenentur illa, quae a parentibus acceperunt.

(*filiabus*). Iterum in I. G. nulla differentia est inter filiorum & filiarum successionem, nisi exceperis personas illustres, de quibus infra §. 5. Addi hic debet, quod inter liberos & nepotes non una sit differentia, item quod in aliquibus Germaniae provinciis nulla exheredatio

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0112
DFG

tio locum habet in immobilibus, & bonis avitis aut feudalibus.

§. 2.

(*ut ecce*). In I. G. hoc iterum ceſſat, quia nepotes in poteſtate parentum ſunt, nequidquam avi, niſi forte in exheredatione liberorum bona mente facta, ubi nepotes ſunt loco ipſorum liberorum.

§. 3.

(*emancipatos*). Extra caſam patris, praeſertim in jure feudali filiae elocatae ad ſucceſſionem etiam in feudis mere hereditariis non vocantur, quod docui ex priſtinis medii aevi inſtitutis *in dem Preuſſiſchen Neuburg*, *cap.* 2.

§. 5.

(*intereſſe*), Vix adſequi conjecturis licet, quae cauſſa moverit imperatorem tollendi diſcrimen ſucceſſionis in feminis & maſculis. Non enim Romani tantum feminas excluſerunt per legem Voconiam qua filiae vel nihil, vel ſaltim parum adquirebant; ſed etiam gentium Europaearum haec vox eſt, & hodie obtinet inter illuſtres nobiles immediatos, *da die Söhne allein erben, die Töchter aber gar nicht, ſondern durch Heurath-Gut abgefunden werden.* De quo *tom. I. Conſil. Halenſ. in fin.*

§. 7.

§. 7.

(*mater*). In I. G. ex adverso dicere possumus, quod cum mater liberos pariter habeat sub potestate, ita etiam liberos exheredare debet pariter 1) nominando, 2) judicando, 3) probando caussam exheredationis ex *Novell.* 115. quamuis dissentiant doctores.

Tit. XIIII.

(pr. *servos*). In I. G. hoc nulla fere ratione potest evenire. Nam minus indignum esset herede carere, quam vilissimum hominem habere heredem. In I. R. enim fuerat hoc famosum, siquidem obaerati bona hastae publicae exponenda essent. Sed in I. G. inde nihil infamiae potest metui.

§. 1.

(*necessarius*). In I. G. tales non habemus, ut adeo omnes heredes vel sui sint, vel extranei.

§. 9.

(*sub conditione*). Casum respondi in caussa Wartembergica comitis de Dohna. Nam Abrahamus comes hoc fideicommissum fecit, *dass die Standes-Herrschaft Wartenberg bey seinem Geschlecht bleiben, aber allein demjenigen zufallen solle, der Römisch-Catholisch wäre, oder werden wollte.* Sed ipsius imperatoris judicio habita fuerit haec conditio pro turpi & non adje-

cta.

cta. Licet enim propter Pacem religioſam nihil turpitudinis adhaereat tribus ſectis in Germania receptis, manet tamen turpitudo moralis, lucri cupiditate religionem mutare.

§. 10.

(*impoſſibilis*). Eſt hoc diſcrimen inter actus inter vivos, e. gr. in ſponſalibus, & mortis cauſſa, quod ibi aliquid operetur, non autem hic, ubi cogitatio mortis excludit ludibria & jocos.

Tit. XV.

(pr. *plures gradus*). In I. R. enim 1) periculum fuerat fieri heredem, quod in I. G. periculo caret, quia ultra vires hereditatis nemo tenetur; 2) In I. R. peregrini aliaeque perſonae erant paſſive inteſtabiles, in I. G. autem haec obſtacula ceſſant, niſi forte heredem volueris haereticum. Hinc vulgaris ſubſtitutio in I. G. rariſſima, contra ſubſtitutio fideicommiſſaria omnium frequentiſſima.

Tit. XVI.

(pr. *impuberis mortui*). Hoc in I. G. etiam obſervatur, ſed tamen rarius, & loco ſubſtitutionis pupillaris uti ſolemus fideicommiſſaria ſubſtitutione, i. e. gentilitia. Quod in I. R. de cauſſa dicitur patria ſcil. poteſtate, in

in G. ad matrem quoque extendendum, quippe cui etiam poteſtas in liberos competit.

§. 3.

(*proprio lino*). Salmaſius toto peculiari libro de modo conſignandi hic deſcripto diſputat. Nos in *Halenſ. diurnis* oſtendimus, rem hanc intellectu facillimam eſſe, dum modo coram oculis habueris cereum codicem rei ſalinariae hujus urbis. Sed ex quo in I. G. lintea chartea utimur, his remediis & modis non eſt opus, quum unum teſtamentum pluribus foliis conſtet, adeoque in ultimo folio vel pagella ſubſcribere poſſunt teſtes, & legere ſubſtitutos heredes, licet lateant iſtos reliqua teſtamenti argumenta! Plurimis etiam teſtatoribus eſt in uſu, *daſs die Blätter zuſammen geheftet, und der Faden verſigelt* wird, *und ſo lange bleibet, bis das Teſtament erôfnet* werden *ſolle.*

§. 8.

(12. *annos*). Supra jam dixi, in I. G. hoc eſſe valde inconcinnum, feminis maturius dare libertatem teſtandi, quam maſculis.

Tit. XVII.

§. 2.

(*poſteriore*). In I. G. admodum diſputatur, an non ad rumpendum teſtamentum ſatis ſit decla-

declaratio contrariae voluntatis coram notario & testibus? Meo judicio, quum sequimur schemata l. R. in condendis testamentis, retinere etiam illa debemus in dissolvendis.

§. 3.

(*posterius*). In I. G. iterum admodum solet disputari, an hoc fieri possit, si primo testamento clausula sit addita jurata de non revocando? Putant enim in I. G. 1) cessare insidias heredipetarum, deinde 2) omnia pacta sustineri in I. G. quae bonis moribus non adversa. Sed primum meretur poenam ob perjurium, neque alteri inde accedit obligatio. De ultimo autem hic non est quaestio, quoniam pacta successoria inter conjuges, etiam pacta reciproca solemus sustinere.

§. 5.

(*appellationibus*). In I. G. vocabulis specialibus destituimur, adeoque formula utimur, *daſs dieſer letzte Wille vor rechtsbeſtändig nicht zu achten.* Formulariam enim jurisprudentiam difficiliorem esse existimamus, & causſam dare ambiguitatibus & tricis.

§. 8.

(*principem*). In I. G. hoc rarius fit, immo principe indignum esse videtur lucrari velle ex bonis relictis subditorum Hinc memini eo casu testamentum destitutum fuisse,

Tit. XVIII.

(pr. *plerumque*). In I. R. hoc saepius evenerat ob perpetuitatem patriae potestatis, sed rarius in I. G. Interim ex heredatio in I. G. tanta damna non adfert liberis, quam in I. R. ubi liberi parentibus adquirerent, ut adeo iniquum esset liberos hereditate rerum adquisitarum destituere.

§. 1.

(*personis*). Ratio hujus legis est, quod gravi injuria adficere praesumatur sororem aut fratrem, qui sordidissimum hominem, quam illos, heredem mallet.

§. 3.

(*repleatur*). In I. G. legitima (*der Pflicht-Theil*) aestimari solet, ut tantum quis habeat, quantum pertinet ad victum & cultum, quod dicere solemus apanagium aut vitalitium. In I. G. etiam distinguitur inter bona avita & noviter adquisita. In his cessat legitima, in illis vero omnis dispositio.

§. 6.

(*donata fuerit*). Est hoc correctum in I. R. per *Novell.* 115. qua titulus honorablilis, i. e. institutio requiritur. Sed in I. G. sequimur Institutiones, quum sufficiat, filium, aut postea natos tantum accepisse, quantum sufficit ad victum & cultum.

Tit.

Tit. XVIIII.

§. 1.

(*neceſſarium*). In I. G. hoc ceſſare, jam ſupra diximus, quia indignum habetur, hominem proprium habere heredem, non indignum, ſi bona ſubiiciantur haſtae.

§. 2.

(*morientis*). In I. G. nulla differentia inter ſuos & extraneos (*Haus-Kindern und ausgeſtatteten Kindern*).

§. 3.

(*a matre*). In I. G. contra res ſe habet ob matris in liberos poteſtatem,

§. 6.

(*gerere*). In I. G. reſpicere ſolemus ad voluntatem ſive verbis ſive factis declaratam. Interim nuper principi ſuaſi, ante non reſcindere obſignationem, quam coram notario & teſtibus, atque inventario confecto demum ſe immiſcere. Sunt quidem ICti, qui principibus Germaniae fidem habendam eſſe perhibent, licet non juratam, ſed creditores contendunt ex adverſo.

Tit. XX.

pr. *de legatis*). In I. R. eſt hic titulus foecundiſſimus, immo amplior, quam alia juris

capita. Nam congeruntur hic significatus verborum & doctrina de interpretatione. In. I. G. tot difficultatibus opus non est nisi quod dubitationes augeat illud quod significatus verborum in I. R. non respondeat I. G. vocabulis.

§. 2.

(*genera quatuor*). In I. R. plura genera fuerant legatorum, sed tamen revocari poterant ad quatuor, & actiones inde admodum diversae oriebantur. Ex aliis enim formulis actio personalis, ex aliis in rem scripta, vel hypothecaria, vel rei vindicatoria provenerat. Sed omnibus legatis omnia haec genera tribuit imperator; num bene, dubito; nam re ipsa in I. G. invenimus plurimas tricas ex harum formularum confusione ortas esse, de quibus in sequentibus locus erit agendi.

§. 3.

(*nulla differentia*). Hoc in I. G. quidem est admodum salubre, ut juris prudentia hic cesset formularia, quae difficilis & odiosa semper. Interim differentia olim fuerat facillima, nam legata provenerant a testatore, fideicommissa ab herede, & propterea concepta erant verbis 1) praecativis 2) ad heredem fiduciarium directis.

12.

§. 12.

(*Celsus putat*). Est hoc contra auctoritatem legislatoris, non proprio uti judicio, sed hujus illiusve ICti. Hinc vitio verti solet legislatori Saxonico, quod subinde hac usus sit formula, *haben sich unsere Rechtsgelehrte dahin verglichen.*

§ 19.

(*columnas*). In I. G. quidem hoc apparatu destituimur; sed occasione pertinentiarum commode hic definiri potest, quod bellica tormenta pro accessorio habeantur munimentorum, nisi parata fuerint ad pompam magis, quam ad usum: deinde, quod cimelia in principali palatio (*das Haus-Geräthe und Familien-Stücke*) pariter sint in nexu fideicommissorum, nequeantque alienari.

§. 31.

(*falsa caussa*). Partim, ne de caussae probatione contentio exsisteret, partim etiam ut testator veram caussam tegeret, involveretque schematibus alienis,

§. 34.

(*incivile*), Contra aliquis dicere posset, civilissimum esse, 1) nominare heredem ceu principalem, & tum 2) devenire ad legatarios. Interim ne hic ordo ignaris obesset, imperator excusavit neglectum.

(*proprosa*). Hunc pertinet conditio, si ad pontificiorum sacra transierit; fides enim non debet cogi.

Tit. XXI.

§. 1.

(*transferri*). Hoc multoties fit. Et in I. R. illud addendum, quod ademtio legatorum quandoque fisco cesserit, si legatarius se exhibuerit indignum. Etiam in plurimis I. G. locis receptum est, ut cedere debeat aliquid tum de legatis, tum de portione hereditaria ipsa, piae caussae aut fisco.

Tit. XXII.

(pr. *legandi potestas*). Sed dubitant alii jure meritoque, utrum haec verba intelligi debeant de legatis, an vero potius legare hic idem sit, quam instituere heredem.

§. 2.

(*legis falcidiae*) In plurimis I. G. locis exsulat falcidia, nam deficiente herede legata praestari a republica possunt. Exsulat igitur in Sueviae plerisque locis, in civitate Norimbergensi, in Belgio. De piis caussis nemo dubitat.

Tit.

Tit. XXIII.

(pr. *fideicommissa*). In I. R. schemata haec excogitata, ut legi fieret fraus, quum minus consultum esset tollere ipsam legem, In I. G. hisce opus non est, quum liberiores manus sint nostris legislatoribus, quippe qui ad populi sensus respicere non debent. Consultum igitur forte magis esset, directo facere, quod hic fit per indirectum.

§. 1.

(*relinquere*). Sed haec inhabilitas quum cesset in I. G. cessat etiam re vera fideicommissorum ratio.

§. 4.

(*Trebellio*). Sed haec nomina in Fastis desiderantur. Ratio haec est. Evenit saepius, ut suffecti consules nominarentur apud auctores, qui tamen Fastis inserti non sunt. Deinde alii Fastorum confectores suffectos, immo honorarios insuerant Fastis, ut adeo tanta Fastorum varietas. In quibus emendandis hodieque solliciti sunt philologi & ICti.

Tit. XXIIII.

(pr. *singulas res*). In I. G. his fideicommissis longe frequentius utimur, quam in I. R. Nam 1) bona avita & gentilitii fundi

plane non poterant per ultimam voluntatem transferri in extraneos, Hoc autem quum semel per receptum I. R. mutatum fuerit; inde factum est, quod nobiles familiae plerumque conventiones ususque introduxerint, *dass die liegende Gründe vor ein Geschlechts-Eigenthum zu halten, und bey dem männlichen Geschlechte unveräusserlich verbleiben sollen.* Denique, quod est maximum, Furstenbergica domus conventione domestica introduxit, *dass auch die beweglichen Güter aller Fürsten von Fürstenberg künftig vor Fideicommissa zu achten, und demjenigen, der sie erworben, über 10000 Reichsthaler zu disponiren, nicht frey stehen solle.*

Tit. XXV.

(pr. *codicillorum*). In I. G cessant caussae codicillorum, v. gr. inhabilitas testium. Interim tamen praxis haec talia introduxit, ut, si testamentum corrueret, sustinerentur nihilo minus per ejus modi libellos aut scripturam ad heredem directam, ad praestandum id, quod rogatur.

(*sollemnitatem*). Quinque testes requiri notissimum est, sed de eo contenditur, utrum

utrum in eadem habilitate esse debeant, qua testamentarii? Ego illis accedo, qui quinque hos testes nuda probationis caussa requiri asserunt. De feminis in I. G. frustra dubitatur, num testes esse possint, quum iis jurisdictionem, judicia, immo auctoritatem in testamentis publicis demandamus.

LIBER III.

Tit. I.

Desiderant in methodo, quod imperator abrumpat hic filum juris hereditarii, quum consultum magis fuisset libri III. titulos 13. priores adiicere libro II. Sed ex ignorantia ita sentiunt, vetustior enim modus scribendi quantitatem respexit rerum scribendarum, non vero qualitatem, quo nos hodie respicere solemus.

§. 2.

(*sui autem*). In I. G. hodieque fieri solet, ut in secundis nuptiis parentes liberis suis adsignent portionem vivi, ne post mortem porro quid hereditare queant.

§. 3.

§. 3.

(*filiave*). In I. G. filiae a filiis excludun-tur, & portio iſtis tantum alimentaria adſigna-tur. Mortuis tamen fratribus, aut exſtinctis agnatis, ad hereditatem revocantur. In Fran-conia & Suevia vocant *den Rück-Fall*, *die Re-gredienz-Erben*. Haec vero filiarum excluſio quum ſit juris, ſuperfluum eſt requirere a filia-bus *die eidliche Verzicht*. De quo in *Conſil. Halenſ. tom. II. lib. II. conſil.* 201.

(*affectione maritali*). Nam tempore Juſti-niani inter ipſos etiam Chriſtianos, quod re-vera mirandum, concubinatus erat impunis. Hodie in I. G. prohibitus eſt. Sed illud requi-ritur, utrum privato liceat inire matrimonium ad morganaticam? Quod pariter negandum quia liberos deſtituere nequit ſua legitima. Interim tamen hodieque in I. G. tolerare ſole-mus *die Mantel-Kinder*, licet illa legitimatio in feudalibus bonis parum curetur.

(*quaſi continuatur*). In I. G. hoc eſt veriſſi-mum, quoniam liberi praeſertim in bonis gen-tilitiis audiunt *Junkere*, quaſi jam domini. Et ſingulare eſt, quod Francorum reges filios, ſuos pariter dixerint juvenes reges.

§. 5.

(*perduellionis reus*), In I. G. admodum dubitatur, num in ejus modi gentilitiis fun-dis liberi amittant jus hereditarium? Recte hoc

hoc negarunt ICti plures in proscriptione Friderici V. Palatini, quoniam hi textus in I. R. loquuntur tantum de bonis, quae propria fuerunt delinquentis, non quae aliena in nexu fiduciario.

§. 9.

(*aequitate*). In I. G. hanc aequitatem admittere possumus collatione bonorum observata. Sed in I. R. haec aequitas est fictitia, immo iniquissima, nam emancipati liberi sibi adquirunt, ut adeo durissimum sit, illos conferre cum aliis, qui adquirunt parenti,

§. 10.

(*emancipati*), Quae hic traduntur usque ad §. 14. illa omnia ex adverso se habent in I. G. Nam nec hic emancipatio fieri potest temere, nec potestas perdurare ultra tempus majorennitatis, nec emancipatio tollit jura succedendi.

§. 15.

(*contra naturam*). In I. R est hoc valde ineptum, filiarum enim posteri non erant heredes avi materni, quia filiae per elocationem separatae a familia patris, & posteri ex filia in aliena erant potestate. Sed in I. G. est hoc justissimum, quoniam respicimus ad sanguinis vinculum, nequid quam ad patris potestatem.

Tit.

Tit. II.

§. 1.

(*agnati*). In I. G. hos dicimus *Vettern*; quasi patris instar; cognatos *Anverwandte*. Olim etiam hi audiverunt *Spill-Magen*, illi *Schwerdt-Magen*, a genere scilicet vivendi.

(*consanguinei*). Aliis legislatoribus in definiendo successione placuit patria potestas, aliis sanguis, aliis conservatio familiae. Germani respexerunt ad ultimum, adeoque ad successionem vocarunt agnatos *als Namens-Stammes-Schild-und Wappen-Genossen*. Nam consors eorumdem insignium tamdiu haberi debet pro agnato, quamdiu alter non probaverit contrarium.

(*simul agnatis*). In I. G. illud singulare est, quod succedant agnati sine ulla differentia aut respectu ad proximitatem, *die Gesamt-Hânder*, nisi addita clausula, *nach rechter Sipp-Zahl*.

§. 2.

(*improprie consanguinei*). In I. G. hoc non tam fit in adoptione, quam in confraternitate, quum propria gentilitate relicta aliquis transit in aliam, atque participes factus est nominis & armorum. Quamvis successio haec hodie plerumque sit tantum modo subsidiaria.

§. 3.

§. 3.

(*non capiant*). Ratio fuerat admodum consulta & utilis reipublicae, ut dolendum sit, hunc ordinem postea conversum esse a praetoribus & imperatoribus. Nam in agnatis conservatur tantum gentilitas, & filiae ac sorores fines sunt familiae.

(*longissimo gradu*). In I. G. hoc fieri potest *in denen Schild- und Wapen-Genossen*, nequidquam in aliis. Unde in plerisque provinciis receptum est, quod ultra quartum gradum, aut septimum, aut nonum nulla successio. Primum olim in Bohemia, alterum in Polonia, ultimum in Hungaria juris fuerat, quod docui in *Opusc. ad legem caducariam.*

§. 7.

(*perfectissimo juri*). Ludit hic imperator, nam dissimulat veram caussam, quae fuerat gentilitas, sed ipsi placet sanguis.

§. 8.

(*parens*). Patrem intelligit exclusa matre. In I. G. utriusque eadem plane est ratio, & eadem jura in succedendo, nam 1) matri competit potestas in liberos 2) in successione non respicimus ad potestatem, sed ad sanguinem.

Tit.

Tit. III.

(pr. *inter matrem*). Erat igitur in I. R. thema hoc indubium, quod in ſucceſſionibus nihil tribui debeat ſexui muliebri, quoniam 12 tabulae reſpexerant ad gentilitatem & familiae conſervationem, memoriamque nominis. In I. G. pariter hoc verum eſt, quod matres ſuccedere nequeant in fundis gentilitiis, (*denen Stamm-Gütern*). Neque etiam ſucceſſioni locus in fundis mere hereditariis, adeo; ut ſucceſſio potior ſit vel fiſci, vel domini directi, matre prorſus excluſa. Sed in I. G. reſpicitur in aliis bonis ad ſanguinem, quapropter inter ſucceſſoria jura patris & matris nulla diverſitas, neque ulla praerogativa. Illud ſingulare eſt in jure Auſtriaco, quod adſcendentium nulla ſucceſſio, quod argumentum plene tractavit Finſterwalderus in *Obſervat. ad jus Auſtriac.* Sed iniquitatem hujus juris ante luſtri ſpatium correxit imperator, atque locum fecit juri communi.

§. 7.

(*vulgo quaeſitus*). Alia ratio eſt in liberis naturalibus, quibus in plurimis locis etiam ſuccedit pater, quia illi ſuccedunt patri in ſubſidium, deficientibus legitimis. In ipſo Galliae regno haec conſuetudo obtine *unter denen Prinzen vom Geblüte,*

Tit.

Tit. IIII.

(pr. *bona matrum*). Ratio est facilis ad intelligendum. Nam in I. R. nulla ratio habita sanguinis, & ratio gentilitatis aut potestatis in matre non poterat haberi. In I. G. igitur non solum matres liberis succedunt, sed etiam eodem modo succedunt, quo pater. Atque idem judicium de avia vel avo. Ratio est haec, quoniam respicimus sanguinem, nequidquam gentilitatem. Licet etiam potestas in I. G. utrique parenti sit communis.

Tit. V.

(pr. *post legitimos*). Nam in I. R. successio vel ex legibus vel ex jure praetorio provenit. Verum in I. G. hoc ipsum cessat, idem enim nexus & legis, & juris consuetudinarii. Quapropter etiam ultimum regnat in plerisque civitatibus, quae successoria jura invitae parti alteri non possunt eripi testamento, nisi pars altera consenserit.

§. 1.

(*deminutione*). In I. G. jure meritoque exsulat, nam qui semel heres habetur, illi successio plena competit, non ex parte cum aliqua deminutione, e. gr. quod frater germanus duas tertias, uterinus autem aut consanguineus unam tertiam.

§. 5.

§. 5.

(*decimo gradu*). Multa est disputatio, utrum haec verba exclusive sint intelligenda. Ego illud omnino adfirmo, quoniam hoc sensu accipi debet sextus gradus in cognationibus, unde certissimum indicium mihi est, infinitatem successionis olim neque in I. R. obtinuisse. Huc pertinent, quae in jure feudali habemus de discrimine inter feudum paternum & antiquum, nam ultra quartum gradum pariter olim nulla fuerat successio. Quid hodie juris sit, illud diximus supra ad tit. 2. Conf. *Opusc. ad legem caducariam.* Addi etiam possunt consuetudines in I. G. *dass die Regredienz-Erben oder der sogenannte Rückfall über den vierten Grad keine statt habe.*

Tit. VI.

(pr. *gradus cognationis*). Non opus est enumeratione harum partium, neque arbore subjecta oculis, nam regulae per Novellam 118. axiomatibus includi possunt. Interim imperator hic imitatur Mosen. Sed Moses enumeravit personas ad cavendum incestum; nequidquam ad definienda jura successoria Interim hoc exinde patet, quod leges Mosaicae hoc juris axiomate jure meritoque includantur, ut, quem gradum Moses non notavit incestu, ille etiam nequidquam haberi debet pro incestuoso. Alias enim Moses operam lusisset, quod improbum est dictu. Ceterum

in I. G. addi hic debet, 1) succeſſio linealis, 2) ſenioratus, 3) jus devolutionis liberorum prioris matrimonii, 4) diſſortum liberorum, 5) regredientiae, (*der Ruckfall*), 6) jus primogenitiurae, immo 7) ſucceſſio conjugum, quae omnia jure Romano prorſus incognita fuerunt.

§. 9.

(*oculata*). Igitur ſuadendum eſt hiſtoricis, ut genealogias includant tabellis. Sed hoc non fuerat factum apud Judaeos, quorum genealogiae tantum modo in linea recta recenſentur, atque ideo pluribus difficultatibus involvuntur, a quibus Paullus jubet cavere.

Tit. VII.

(pr. *non pertinere*). In I. R. non tantum in materia ſucceſſionis, ſed & in argumento inceſtus nulla ratio habita cognationis ſervorum, quod dictu vere horrendum eſt. Sed rationem dederunt Romani, quod inceſtus fieri non poſſet in ſervis, quoniam a ſervis nulla coactio matrimoniorum aut conjunctionum fuerat metuenda, quoniam ſervorum coitus & contubernia pependerant a nutu dominorum. Sed exempla proſtant in I. R. quod domini ſaepius imperaverint contubernia liberorum cum parentibus ſine ullo pudore. In I. G. quum ſervis jus eſſet ſibi adquirendi, haud

haud dubie etiam habita ratio cognationis servorum, si non in successione, tamen in incestu. Quo jure utimur hodieque.

Tit. VIII.

(pr. *impune*). In I. G. uti nulla testamenta cognita, sic etiam hoc ipsum cessat. Sed tamen post recepta testamenta manus ligatae sunt nihilo minus propriis hominibus nostris ob jura quaesita dominorum, ut adeo homines proprii censendi sint instar fiduciariorum possessorum. Quapropter etiam in statutis Westphaliae (*den Ordnungen der Eigenbehörigen*) cautum est, quod homo proprius ultra imperialem se nequeat obligare, ne hoc in fraudem fieret sui domini.

§. 1.

(*patrono*). In I. G. hoc pariter differt. Nam in aliis locis dominus est heres ex asse, ut nihil relinquatur liberis glebae domini adscriptis; contra alibi est dimidia aut tertia pars bonorum, alibi aestimatio instituitur, *so dass das Sterbe-Leben 5 von 100 ausmache, und auch nachhero die Succeſſions-Leben-Waare eben so viel*; alibi iterum domino debetur *das beste von Kleidern, von Geräthe, von allem Vieh*, cet. quo casu homines proprii omnino testari possunt, salvo tamen jure dominico, ut adeo homo proprius partim testatus partim

inteſtatus moriatur. Mortuarium hoc dicere ſolent *den Sterbe-Fall.*

§. 3.

(*Graeca*). Eo enim tempore Graeca lingua fuerat inſtar Latinae in occidentalibus regnis in medio aevo. Quapropter priſtina etiam Germanorum jura concepta ſunt ſermone Latino, licet plerique ſubditi Latinae periti non eſſent. Quod vero imperator Corpus juris non Graeco ſermone ſcripſerit, illud propterea eſt factum, quoniam difficile, immo impoſſibile fuerat, technica juris vocabula reddere verbis Graecis quae cauſſa eſt, quare in Baſilicis, & apud Theophilum atque Ataliotam in ipſa Graeca lingua technica juris Latina retenta ſint.

§. 4.

(*ultimo ſpiritu*). Hoc idem eſt, quod in I. G. ſupra diximus, proprios homines liberos eſſe in vita, ſed mortuos fieri ſervos, (*dieweil er lebt iſt er frey; wenn er ſtirbt, ſtirbt er als ein Knecht*).

Tit. VIIII.

(pr. *ex liberis*). In I. G. paſſim diſputatur, utrum patri liceat uni ex liberis adſignare fundum allodialem aut etiam feudalem, ſi dominus conſenſerit. Plerumque adfirmant utrumque, ego primum adfirmo, alterum nego

nego in feudis gentilitiis, ubi ordo succedendi turbari non potest ex voluntate primi adquirentis.

Tit. X.

(pr. *emendandi*). In I. R. rationes fuerant hae in hoc aenigmate, nempe leges 12. tabb. nullos heredes esse voluerant, nisi suos & in familia. His deficientibus succesferat fiscus, nisi testamentum adesset, i. e. successoria lex, vel a populo impetrata, vel adquisita per imaginariam venditionem. Taeduit ejus rei praetores, ut ergo fiscus praeferret plures personas extraneas, liberos emancipatos, agnatos aut cognatos, uxorem aut maritos. Igitur hos admiserant ad successionem derelictorum bonorum defuncti. Ineptissimum fuerat hanc mutationem juris successorii pallio involuere bonorum possessionis, quasi demum ex usucapione & praescriptione plenum dominium illis fuerit sperandum; neque enim praetorum esse dixerunt leges facere, aut legitimos heredes. Igitur substituerunt umbratilia bonorum possessionis. Hi lusus fuerant & schemata inania veteris juris prudentiae. Sed quum hodie hi omnes bonorum possessores praetorii ab imperatore in Novella 118. legitimi heredes declarentur, simulata non nisi juris prudentia remanet in hoc argumento bonorum possessionis. In I. G. quum persona, quas praetor nominavit, semper succesferint, Tacito teste, quod liberis deficientibus succe-

dant propinqui: igitur ineptissimum est in I. G. huic schemati bonorum possessionis locum dare.

§. 1.

(*viro & uxori*). Quamuis in I. G. obtineat regulariter inter conjuges bonorum communio, frustraneum & fere ridiculum est, hoc schema bonorum possessionis superstiti conjugi commendare. Interim hoc verum est, quod ex commixtione juris Romani & Germanici conjugum successio mirum quantum sit confusa, & ex utroque jure commixta. Nam introducta est in I. G. plerumque participatio, ut una pars bonorum obveniat conjugi superstiti, altera heredibus defuncti, quum potius uno conjuge defuncto dominium universorum bonorum accrescere debeat superstiti.

§. 5.

(*accrescit*). In I. G. hoc pariter notandum est. Nam casum habemus in manibus, ubi disputatur, num jus accrescendi obtineat in albinagio, siquidem unus & alter heres in Gallia versetur, an vero portio absentis accrescat fisco. Negamus nos ultimum, quod in ipsa Gallia jus accrescendi habeat locum.

Tit. XI.

(pr. *consensu*). Quod est singulare ideo, quoniam nulla sollemnitas praeterea requiritur, quam utriusque consensus. In I. R. hoc evenerat plurimum ideo, quod infirmiori civi molestum esset vitam transigere, ut adeo opus esset arrogatione seu applicatone, i. e. ut se conferret in tutelam potentioris. In I. G. huc referre licet, quod saepius familia nobilis egestate pressa se contulit in aliam, vel jure ministerialium, vel etiam jure parentelae, i. e. susceptae extaneae familiae. Quodam modo cum his conferre licet hodieque jus ganerbiatus.

Tit. XII.

(pr. *addici*). In I. G. hoc ex alia caussa solet evenire. Quum enim concursus creditorum admodum lenti & sumtuosi sint, hodie consuli solet creditoribus, ut remissione facta uni boni addicantur, qui aliis satis faciat.

Tit. XIII.

(pr. *bonorum*). In I. R. hoc fieri poterat duplici ex caussa, voluntaria vel etiam necessaria, quae caussa hujus tituli cum priori est nexus. In I. G. hodie passim receptum, ut aliquis bonis cedat, ut bona exponantur hastae, ut transigatur cum debitoribus ad evi-

tandum concursum. Id quod fieri potest vel judicialiter, vel extra judicium. Sed tamen quibusdam personis competentia relicta, quantum pertinet ad victum & cultum.

§. 1.

(*indignum*). In I. G. imparia matrimonia tristes effectus habent, immo si servus aut homo proprius nobili virgini, licet volenti, stuprum intulerit, ultimum supplicium stupratori irrogatum est. Qui rigor quidem hodie cessat, sed tamen poenam corporis adflictivam omnino meretur hoc delictum. Excepto casu, si filia principis tale quid patiatur, ubi omnino criminis laesae majestatis reus haberi potest stuprator. Conf. *Opusc. de dignitate uxoris.*

Tit. XIIII.

(pr. *transeamus*). E re esset cum novo argumento & juris objecto novo incipere quoque novum librum, ubi etiam exempla quaedam prostant codicum, ubi liber III. initium sumit de obligationibus. Sed diximus supra, imperatorem membranarum habuisse rationem in dividendo, nequidquam argumenti qualitatum.

(*ad obligationes*). Jura ad rem scilicet, ubi non res mihi devincta, sed persona, quod idem etiam in I. G. se ita habet.

(*vincu-*

(*vinculum*). Ridiculi sunt, qui hanc allegoriam exsibilare solent, quare ICti definiant obligationem *durch einen Strang oder Strick*. Nugae sunt. Nam uti vinculum a vinciendo, sic ipsa obligatio a ligando. Licet illi admoneri possent ex Gellio, quod debitores etiam a creditore laqueo constringi, & ad judicem trahi potuerint inter compedes, dum modo non excederent ponderis definitam mensuram.

(*nostrae civitatis*). Errant igitur toto caelo, quod existiment, in hoc juris objecto non multum super esse differentiarum juris R. & G. Nam inter nostram civitatem & Romanam plurimum interesse, re ipsa videbimus.

§. 1.

(*honorariae*). Supra diximus, aliquos ICtos statuta Principum & provinciarum huc trahere, errore manifestissimo. Igitur honoraria jura apud nos prorsus cessant.

§. 2.

(*quatuor species*). In l. G. unica est species, declaratio voluntatis utriusque contrahentis. Sed in I. R. simplex voluntatis declaratio non suffecerat ad obligandum, sed opus fuerat symbolis rerum & formulis. Singulare hoc fuerat in I. R. neque apud alias gentes ullas tale quid receptum aut introductum. Caussam requiris, dabo illam, quoniam Romanorum

levitas animi & volubilitas linguae fuerat teſtatiſſima, ut adeo dicis gratia effuſum eſſe praeſupponerent, quod fuerat promiſſum, niſi rei aut formulae acceſſerit traditio aut ſollemnitas.

Tit. XV.

(pr. *re*). Hinc in I. R. ſimplex promiſſio de mutuo dando, de commodando, de pignorando, non eſt obligatoria. Contra in I. G. talis promiſſio aut pactum ſimplex & nudum ſemper obligatorium eſt, quoniam verba ſtare debet, neque dicis gratia alteri illudi; dummodo alterius interſit, praeſtari hoc pactum.

(*datio*). Litigioſa contentio inter Salmaſium & Wiſſenbachium, num in mutuo translatio ſtatui debeat. Nam fingit Salmaſius dominium ſummae contra juris poſitivi ordinem. Interim Germanica vox ipſi favere videtur, uti mutui contractum dicimus *ein Darlehen*, quaſi ſcilicet uſus tantum modo, non res ipſa transferatur.

(*iis rebus*). Hodie, & praeſertim in I. R. mutuum raro contrahi ſolet, niſi in pecunia. Sed in I. G. veteri loco mutui permutatio fuerat in uſu vel in ipſo mutuo connabis, aut etiam linum, ſi fides eſt auctoribus.

(*pon-*

(*pondere*). In I. G. valde id moleſtum eſt, quod pondera & menſurae pro diverſitate locorum, urbium, & provinciarum ad modum differunt, Quapropter rex Pruſſiae a. 1714. in omnibus provinciis ſuis aequavit menſuram & ulnas, ut adeo nunc ubique Berolinenſis tantum modo ſit legitima. Cauſſam inaequalitatis nemo prodidit adhuc; meo judicio autem reſpicit illa tempora antiquiora, ubi obtinuit permutatio. Inde mihi axioma enatum: ubi rerum eſt ubertas, ibi menſura eſt magna; ubi autem penuria, ibi menſura etiam minor; de quo olim jam egi *in der Einleitung zu dem deutſchen Münzweſen.*

(*naturae*). In I. G. quum nummorum qualitas pro diverſitate temporum tantopere differat, id requiri ſolet, in qua qualitate nummi reddi ſoleant, ſeu potius, debeant? ſcilicet, num in ea, qua accepi aut expendi, an vero in ea, quae nunc in valore & uſu eſſe ſolet? Primum ſtatui debet, quamuis alii ſtent pro ultimo. In votis hoc rerum ſtatu poni debet, ut hiſtoriam Germanarum monetarum habemus ſecundum diverſitatem omnium provinciarum & temporum.

§. 1.

(*pupillus*). Huc etiam referi debent genera alia plura in I. R. SC. Mecedonianum, ſed in I. G. ejus nullam fere utilitatem eſſe, in differentiis utriusque juris docui in contractu mutui. Et licet in I. R. tantum mutuo dare liceat

liceat juveni, quantum pietas non recusatura sit patris, ut habetur in *l. 5, C. ad SC. Macedon.* in Fridericiana tamen absolvuntur studiosi obligatione mutui ultra quinque imperiales. In I. R. mutuum non dari potest civitatibus nisi pecunia in rem versa: in I. G. hoc falsum est in civitatibus imperii, verum autem in landsassicis, nisi princeps consenserit. In I. R. mutuum dari prohibetur praesidibus provinciarum & terribilibus personis, quod ultimum in I. G. pariter observatur.

§. 2.

(*commodati*). In I. G. vocabulum *leihen* est multiplicis significatus, nam & de mutuo dicitur, & de commodato, utque etiam de locato. Quapropter cavendum est, ne haec aequivocatio jura distinctissima confundat ac turbet.

§. 3.

(*amiserit*). In I. G. praesertim etiam Hamburgensi axioma juris obtinet, *Hand muss Hand wahren*, adeoque in commodato non solum, sed etiam in depositio & pignore, ab eo rem meam vindico vel condico, cui illam tradidi.

(*desidiae*). In I. G. admodum est ambiguum, utrum ad pignorationes tollendas consultius sit sequestrum constituere, atque adeo depositum necessarium. Verum quum eventus

tus sequestrationum admodum pernicioſi & damnoſi ſint, igitur rarius eo deveniendum. In I. G. etiam habere ſolemus peculiare depoſiti genus, *die ſo genannte Niederlage*: quae cum gratis non fiant, etiam majorem requirunt diligentiam a depoſitario, immo, quod in plurimis locis cautum eſt, indemnitas deponenti eſt praeſtanda. Demum quod in I. R. actio dupli ſtatuta ſit, in I. G. ei locus non eſt, quoniam deponens id, quod ſuum eſt recipit, malitia autem depoſitarii coërcetur mulcta, quae judici ſolvi debet, non parti. Eſt etiam in I. G. hoc ſingulare, quod depoſitarius ſine ullo indicio teneatur jurejurando purgatorio, *Jus prov. Sax. lib. III. cap. 5.* ſed tamen hoc praeſtito ille depoſitarius non ſtatim tenetur ad reſtituendas impenſas.

§. 4.

(*pignus*). Uti in I. R. pignus ab hypotheca diſtinguitur, ſic in I. G. vocabulum *Pfand* utrumque ſignificat. Licet vero verbum deſit in I. G. tamen differentia rei manet. Revera enim pignus illud dicitur, ubi naturalem rei poſſeſſionem habeo, quorſum etiam vocabuli *Pfand* etymologiam ſolent referre. Sed fingere jus reale ſine ulla apprehenſione, illud quidem eſt juris poſitivi, ipſis etiam Romanis olim ignoratum, unde in I. R. Latinum verbum deeſt, & ſubſtitutum vocabulum Grecum contra mores Latii. Interim in I. G. primum hypotheca ceſſat in rebus immobilibus, niſi

nisi constituta sit auctoritate judiciali. Praetera in I. G constitui etiam solet hypotheca in bonis debitoris, *der sich zu dem Einlager oder Obstagio verschrieben.*

(*creditum petere*). Contra in I. G. creditum pignore casu amisso perit. *Jus prov. Sax. lib. III. cap. 5.* Inde cautio contrahentium *dass sie sich noch über dem Pfand eine besondere Obligation ausstellen lassen.*

Tit. XVI.

(pr. *interrogatione*). Est hic magna differentia inter I. R. & G. quod non opus habet harum formularum cantu. Interim opponunt alii, saepius tamen in I. G. etiam verbis ludi, & exceptiones audiri, *dass man solches in Scherz verbeissen.* Sed facilis est meo judicio hujus litis decisio. Nam in I. R. omnis promissio dicis gratia facta esse videtur; contra in I. G. omnia verba prolata creduntur serio, adeoque obligant, nisi alter in se susceperit onus probandi, *dass es nicht Ernst, sondern Scherz gewesen*, ubi pariter absolvuntur contrahentes ab obligatione. Ceterum in I. G. illud est lepidum, quod actionem ex stipulatu etiam dicamus simplicem conventionem, quum rectius diceremus condictionem ex pacto aut lege.

§. 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0146
DFG

§. 3.

(*jure facta*). Hoc in I. R. habetur ineptissimum. Nam sana ratio vult, ne alter obligationem extendat ultra tempus a sponsore definitum. Immo nihil est frequentius, quam alteri ad dies vitae spondere, quorsum pertinent vitalitia, & vulgo *die Leib-Renten.*

Tit. XVII.

§. 1.

(*in solidum*). In I. G. formulis utimur in ejus modi correalibus obligationibus, *einer vor beyde, und beyde vor einen*, utque in mandatis, si unus potest rem tractare sine altero, *befehlen eucht samt und sonders.* Quae clausula nisi addita sit, frustra unus tractat negotium.

Tit. XVIII.

(pr. *domini*). In I. G. nihil tale relinquimus hominibus propriis, neque etiam famulis nostris, quamvis dubitari poterit de his, *wenn der Herr den Diener in dieser Sache Geld einzuheben, Wechsel auszustellen &c. gebrauchet*, Ridiculum est, sustituere hic aliquos ICtos notarios publicos, quasi servos communes.

Tit.

Tit. XVIIII.

(pr. *judiciales*). In I. G. indignum habetur auctoritate judicis praesentem partem requirere aut ad stipulandum, aut ad promittendum. Satis enim est declaratio coram judice utrumque facta, atque inserta protocollo, non a judice, sed ab actuario vel scriba, addita dextra, quod in I. G. ideo dicimus *die Handreichung*, *den Handschlag*.

Tit. XX.

(rubr. *inutilibus*). Est ea in re Tribonianus justo amplior, quoniam pleraque superflua sunt. Interim quae hic habet recensetque, illorum pleraque in aliis etiam contractibus & conventionibus inveniunt locum, ut adeo duo tituli de legatis & stipulationibus ad doctrinam interpretandi pertineant.

§. 1.

(*si quis rem*). Brevius Tribonianus se expediviſſet, si hunc titulum distinxisset in tres classes. Nam stipulationes vitium habent *in re*, si illa non ens, si sacra, si extra commercium, vel *in persona*, si surdus, si mutus, vel *in forma*, si vagetur extra oras juris civilis.

§. 3.

(*alium daturum*). Nemo sanae mentis hoc discrimen non intellexerit; unde repeti debet, quod

quod supra dictum, quam inane & superfluum sit hujus tituli argumentum. Certe in l. G. licet plura quoque inveniantur, quae parum congrua sint, non tamen tot specimina aliquis congesserit inanium decisionum. Ceterum duo libri hic commendari possunt, Mantica *de tacitis & ambiguis conventionibus*, & Menochius, *de praesumtionibus*, quibus Mascardum adde *de probationibus*, in quo trifolio reperies, quidquid umquam in hoc argumento dubii occurret.

§. 4.

(*cujus juri*). In l. G. hoc non attenditur, nam nihil prohibet, quo minus etiam alii prosint, ut adeo promissor omnis teneatur.

§. 5.

(*quinque promittas*). Rectius regulam hic attendimus juris naturalis, quod major summa comprehendat minorem.

§. 6.

(*subjectus*). In l. G. nihil est novi, quod inter liberos & parentes intercedat stipulatio (ratio est, quoniam parentum tanta non est potestas in l. G, quam in l. R.

§. 7.

(*mutum*). Casum nuper respondimus in muto, qui per signa & gestus alteri se obligaverat, neque mutus detrectaverat hoc. Hoc

igitur casu omnino tenetur, quum verba indicia sint rerum & cogitationum, idemque characteres & gestus possunt significare.

§. 12.

(*inter absentes*). Hoc pariter in I. G. est correctum, quapropter omnino per litteras & responsiones litterarias idem fieri potest, quam in I. R. per stipulationem.

§. 13.

(*quum moriar*). Nam veteres mortis commemorationem declinaverant, praesertim in principibus.

§. 17.

(*scriptum*). Ea de re inferius agemus in *tit.* 22. nam exinde mihi clarum est, quod in jure Romano etiam sit litteraria obligatio.

§. 20.

(*interesset*). Sed finis stipulandi sit procurare interesse alicujus.

§. 24.

(*turpi ex caussa*). Quorsum etiam refer causam mutandae religionis. Quamvis enim tres religiones receptae sint, atque colantur sine ulla turpitudine, tamen in commercio ponere religionem, omnino turpe est.

Tit.

Tit. XXI.

(pr. *alii obligari*). In I. R. cautum fuerat provide, ne fidejussor obligaretur, nisi intercesserit stipulatio, atque sic promissio sollemnium verborum, ne scilicet unus alterius negotio temere irretiretur. Contra in I. G. simplex assertio satis est, atque ille habetur pro fidejussore, qui tantum modo debitorem laudat, commendat, formulisque utitur, *der Mann ist gut*; *man kann ihm sicher trauen*; *das Geld stehet da sicher*. Praesertim hoc jure utuntur mercatores.

(*fidejussores*). In I. R. fidejussor dicitur ille, qui jussit alteri fidem habere. In I. G. aliis nominibus utimur, *vor den andern bürgen*, *gutsagen*, & alicubi fidejussores dicuntur *Treusager*.

§. 1.

(*obligationibus*). Nuper dubitatum fuerat, quum aliquis se ad certitudinem dotis sponsae alterius fidejubendo obstrinxerat. Licet enim in b. f. fuerit, nihilo minus condemnatus est ad solvendum.

(*naturalis*). In I. G. dubitant, putantque, exceptionem debitoris etiam prodesse fidejussori. Exemplum nuper habuimus in fidejussione pro studioso.

§. 2.

(*heredem*). In I. G. in aliquibus locis distinguunt, utrum mentio facta fuerit heredis,

an vero minus. Ultimo loco heredem ab obligatione absolvunt. Si conjectari licet, illud respicit potissimum successores gentilitios, qui facta defuncti praestare non obligantur.

§. 4.

(*in solidum*). Hoc plures defendunt in I. G. de quo dubitari non potest, quando formula adiicitur, *zu ungetheilten Händen; alle vor einen, und einer vor alle.* Sed de hoc ipso etiam dubitant, nisi accesserit renuntiatio excussionis & divisionis, quod putaverim esse iniquum, praesertim quum ratio potior sit obligationis in solidum, quam partibus divisis.

§. 5.

(*in tempore*). Esse solet communis cautela, *dass der Bürge oder Rück-Bürge, oder auch Schadloss-Bürge seinen terminum solutionis weiter hinaus setze, als der principalis debitor zur Zahlung verbunden.* Quapropter huic non prodest exceptio, *er habe ja seinen Bürgen, und sey sicher genug.*

§. 6.

(*mandati*). Ut non opus sit cessione nominum.

§. 7.

(*Graece*). Caussam vix penetro hujus paragraphi, quum imperator supra *tit.* 16. §. 2. monue-

monuerit, quod qualia cumque verba in ſtipulatione obligent.

§. 8.

(*ſcriptum*). Quaſi ſcriptum non obliget in fidejuſſione, niſi praeceſſerit verborum ſtipulatio. In I. G. pleraeque fidejuſſiones litteris fiunt, pauciſſimae verbis.

Tit. XXII.

(*obligatio*). Multae ſolent eſſe contentiones inter ICtos, utrum ex litteris, quod imperator dicit, obligatio ſit, an vero tantum modo probatio ex litteris facienda. Poſtquam omnes veteres auctores conſului, illud quidem reperi, quod Romani olim praeter conſenſuales contractus per litteras neminem obligaverint, niſi ſcriptum eſſet 1) notariorum, aut 2) argentariorum, aut 3) ſcriptura inſerta Kalendariis. Novo itaque inſtituto imperator 4) adjecit obligationem chirographis poſt lapſum biennii, immo in aliis cauſſis ante bienni lapſum. Sed quid de libris mercatorum? Plurium vota ſunt, illis nullam haberi auctoritatem. Egimus ea de re ex inſtituto in *Opuſc. de nexu ſcripturae*. In alia omnia ire ſolemus in I. G. nam infamiae notam incurrit, *der ſeine Hand, Treue und Siegel bricht, oder leugnet*. Addere ſolent ex ſuperſtitione, ſi chirographo adjectum fuerit ſignum crucis, ob ſacrorum reverentiam.

(*nomina*). I. e. adnotatio in Kalendariis debitorum nam his tributa fuerat fides plena, quod illa kalendaria 1) omnibus paterent, 2) a censoribus mittentur sub examen.

(*biennii metas*). Est hic maxima differentia inter chirographa in I. R. atque nostri moris chirographa. Nam in I. R. scripta fuerant chirographa in debitis, antequam summa esset soluta, in gratiam argentariorum, *weil die Römer das Geld nicht selber verkehrten, sondern durch die Wechsler verkehren liessen.* Quod quum ita esset, jure meritoque exceptioni locus pecuniae non numeratae. In I. G. autem, ubi mutuo dare solent ipsi creditores, haec ratio prorsus cessat, ut adeo iniquissimum sit, solutionem factam esse probare demum, quum potius vel tempus contrahendum, vel, si a potioribus lex fieri debeat casibus, debitori culpa tribuenda, quod ante chirographum alteri dederit, quam solutio facta esset. Hinc exceptio haec sublata est in pluribus tribunalibus, vel etiam plurimis intercepta exceptionibus, ut pote si adsit caussa debendi, si pars crediti soluta sit, si litterae sint cambiales, si actum cum mercatore, si exceptioni fuerit renuntiatum.

Tit. XXIII.

In I. R. simplex consensus in his contractibus propterea suffecerat, quoniam ipsa indoles

doles & natura negotii fuerat inter contrahentes, non hic dicis gratia, aut per jocum agi, sed serio. Deinde etiam frequentia horum contractuum legislatorem permoverat ad hoc privilegium. In I. G. omnes contractus consensuales sunt, quoniam omnis conventio utrumque facta produxerat obligationem.

Tit. XXIIII.

(pr. *arrha*). In I. G. re vera tamen multoties dubitatum, *ob der Kauf würklich geschlossen, oder aber beide Contrahenten nur im Handel gewesen.* Qua propter excipere solent saepius contrahentes, *daß sie sich einander den Handschlag noch nicht gegeben, oder den Weinkauf, oder Gottes-Pfenning.* Quod tamen ita accipiendum est in I. G. acsi emti venditi contractus symbolicus sit, verum si data dextra, tum demum contra alterum, qui poenitere vult, est argumentum.

(*scriptura*). In I. G. in quam plurimis locis lege introductum, quod nulla emtio valeat, nisi concepta litteris, praesertim in rebus alicujus momenti atque immobilibus. Quod quum ita sit, poenitentiae semper est locus.

(*nomine*). In I. G. differunt invicem *der Gottes-Pfenning, Wein- oder Bier-Kauf*, ab aliis hujus modi honorariis, *dem Schlüssel-Geld,*

Heerde-Geld, cet. atque demum pretii pars soluta, *wenn ich ein gewisses auf den Kauf gebe.*

§. 1.

(*dubitabatur*). In I. G. nulla dubitatio, potius innumerae emtiones fiunt sub formula, quanti res aestimata sit, praesertim *in Erkaufung des Viehes und Feldinventarii nach denen drey Schichten der Würderungs-Leute*; vel etiam sub formula, *was der Markt-Preiss vel tempore contractus, oder zur Zeit der Lieferung seyn würde.* Singulare fuerat in pace Westphalia, ubi Geldriae Belgicae pretium promissum, quanti illa pars aestimata fuerat.

§. 2.

(*permutatione*). In I. G. auri & argenti usus prorsus fuit ignoratus, adeoque emi non potuit aere, sed, quod supra dixi, linteo aut etiam cannabi. Interim exempla testatissima sunt permutationum. Illud vero inter I. G. & R. discrimen intercedit, quod ejus modi contractus permutationis fuerit realis ex utraque parte, in I. G. autem consensualis, nisi turbare velimus patrii juris prudentiam in suo certissimo fundamento, quod omnes conventiones seriae habeantur, adeoque sint obligatoriae.

(*vinum*). In I. G. memores esse possumus, quod majores nostri vina pariter emerint liberis suis Romanis dotis loco pretii. Parum interest,

tereſt, ſi jus Germanicum reſpicere velis utrum contractus ille audiat emti, an vero permutationis.

§. 3.

(*emtori*). In I. G. in quam plurimis locis lege eſt cautum, ne periculum venditarum aedium ante emtoris ſit, quam judicialis traditio (*die gerichtliche Auflaſſung*) ſit facta, quod aliter ſe habet in I. R. cujus ratio eſt, quoniam emtor praeſumitur eſſe in mora accipiendi.

Tit. XXV.

(pr. *locatio*). In I. G. inter genera locationum pro rerum diverſitate magna eſt differentia in nominibus. Nam in operis dicimus *verdingen*, in aedificiis *vermiethen* in fundis *heuren* vel *in Beſtand nehmen*, ut locator aut conductor audiat *der Beſtändner*. Quae omnia in I. R. confunduntur.

§. 1.

(*arbitrio*). Hoc ſaepius fit, e. gr. in plurimis academiis hoc receptum, ut conclavia non habeant pretium conventionale, ſed potius ſenſuale rerum adminiſtri, qui locarium arbitrio ſuo ſolet definire.

§. 2.

(*genus*). Statim dixi, in I. G. hoc perinde esse, nam in I. G. etiam innominati contractus, facio ut facias, sunt consensuales.

§. 3.

(*Zenoniana*). Facile intelligitur ex ipso nomine emphyteuseos, quod hic modus contrahendi apud Graecos imperatores demum adprobatus sit, exsulaverit autem in I. R. nam pepetuaria conductio ibi non fuerat, verum nomine illa conductio sic audiit, quae in longum aut longissimum tempus fuerat facta, consulta quidem ratione, ne usus fructus rei degeneraret in dominium. In I. G. contractus hic emphyteuticus est frequentissimus (*Erben-Zinns-Güter*), sed etiam *die so genannten Erb-Pachter*, de quibus ex instituto actum in *Jure clientelari* etiam nunc recuso.

§. 5.

(*legem*). Est maximi momenti problema, utrum, si legem conductionis neglexerit conductor, propria auctoritate a locatore possit expelli? Quod adfirmaverim, idque ex ratione, quod 1) conductor non possideat, 2) ex auctoritate *l. 4. C. h. t.* Sed interpretes hunc textum torquent huc & illuc, & communis opinio eo inclinat quod in hoc casu conductori

ctori agere liceat ex capite spolii. Mihi in I. G. hoc videtur esse valde ineptum, quoniam pignorationes in I. G. toleramus, quod in I. R. non licet. Nescio, quo colore spolii accusare velimus hoc in casu locatorem.

§. 6.

(*eodem jure*). In I. G. hoc propterea est ambiguum & minus consultum, praesertim in tali locatione, ubi conductoris dexteritas est electa, quum multum intersit, quem conductorem habeam, num oeconomum bonum aut minus. Deinde axioma etiam disputari solet, *Kauf gehet vor Miethe*, quod pariter impetere solent argumentis. Demum in I. G. frustra dubitant, num distinctioni locus ratione tacitae hypothecae inter res scienter illatas & locatore ignorante. Quod meo judicio videtur esse aequissimum.

Tit. XXVI.

(pr. *coire.*) In I. G. inprimis huc pertinet societas inter conjuges, atque omnium bonorum communio. Quum vero tale quid in I. R. inauditum, hinc evenit, ut pristina patriae jura per regulas societatis in I. R. perverterentur, neque enim ullibi locorum illa societas pleno usu colitur, quam in emporiis Germaniae, praesertim Hamburgi, ubi conjux conjugis facto aut neglectu tenetur. Quod etiam

etiam in I. G. eo aequius est, quoniam matrimonia colimus indimissibilia, quod aliter se habuerat in I. R. Inde juris patrii proverbia: *längst Leib, längst Gut*; *wem ich meinen Leib gönne, dem gönne ich auch mein Gut.*

§. 1.

(*convenerit*). Omnino hic meretur contractus ex consensualibus expungi, atque potius referri inter contractus litterarios, quoniam totuplicis generis societates sunt, & innumerae circumstantiae tam varient. Igitur in I. G. est receptum, *dass keine Compagnie ohne schriftliche Verfassung vor rechtsbeständig geachtet wird.*

§. 4.

(*consensu*). Hoc in I. G. contra se habet; nam ibi societates, siquidem ita visum fuerit, perpetuas & aeternum duraturas colimus, ubi poenitentiae locus non est, quod exempla satis docent *der Gewerkschaften bey denen Bergwerken, der Ost-Indischen und anderer Handlungs-Compagnien*, quodsi enim socius defecerit in numerando, quod debet, tum suo jure privari solet, *dass seine Kuxen vor caduciret zu halten, und vor freye erkläret zu werden pflegen.* Sed jus Romanum abhorret a societate perpetuaria, indeque a matrimoniis indimissibilibus. Ratio est, quod evitari debeant lites; quae ratio admodum puerilis.

§. 5.

§. 5.

(*personam*). Hoc etiam dici posset in locato conducto. Igitur in I. G. nihil novi est, societates iniri *auf sich und seine Erben.* Quod quum factum aut conventum sit, non locus est heredibus poenitentiae. Casum nuper respondimus in societate juris dictionis *der adelichen Gerichts-Herren.*

(*convenerit*). Sed etiam de hac conventione, utrum illa sit obligatoria in I. R. admodum dubitatur, ob causas jam jam dictas. Neque enim in I. R. societates adeo frequentes, atque adeo momentosae fuerunt, *als wir jezund in der Ost- und West-Indischen Compagnie gewahr werden.* Ratio est haec, quoniam mercatura exerceri poterat per servos probatae fidei & dexteritatis. Deinde in tantis civium Rom. divitiis deesse non poterant opes, quae duo quum cessent moribus nostris servitute sublata, omnino res contra evenire solet.

Tit. XXVII.

(pr. *mandatum*). In I. G. tantum abest, ut mandatum sit contractibus consensualibus accensendum, ut potius opus sit scriptura, *dass jeder Sachwalter sich durch schriftliche Vollmacht zu legitimiren.* Immo, quod magis est, non

non sufficit formula, nisi verbis praescriptis concepta. Et in provinciis regis Prussiae haec formula non solum typis expressa, sed etiam distributio eorum mandatorum locata est duobus hominibus pro conventa mercede.

§. 1.

(*mandantis*). Huc referre licet mandata in obeundis legationibus, unde etiam propter plenipotentiam audire solent plenipotentiarii. Neque enim audiri solet legatus, nisi antea exhibuerit mandatum legantis.

§. 6.

(*consilio*). Est hoc nostris moribus, atque sic in l. G. valde ambiguum, quousque consiliatores obligentur, & quam culpam teneantur praestare. Illud omnino prudentiae regulae requirunt, ne quis alienis se negotiis temere immiscat. Interim tamen etiam princeps peccat, si consiliatoribus eventum tribuat, si ille minus responderit.

§. 8.

(*fines mandati*). Est hoc praeceptum magni momenti. Nam satius est intra fines mandati se continere, quam excedere fines sub spe alicujus commodi aut lucri in gratiam mandantis. Semper obversatur animo meo exemplum Culpisii & aliorum legatorum, qui Rysuicensibus tabulis subscripserunt, parum curato

curato exceſſu mandati ad clauſulam quarti articuli. Criminis laeſae majeſtatis poſtulavit illos princeps mandans.

§. 13.

(*formam aliam*). Eſt hoc valde ambiguum, num in mandato a mandatario requiratur, ut praeſtet leviſſimam culpam, quaſi ſe negotio obtruderit. Sed quum hodie mandatarii non gratis mandata exſequantur, ſed ſalario, honorario, aut mercede propoſitis, igitur omnino aliter eſt ſentiendum. Etiam hoc ad §. 7. addi poteſt, quod miniſtrum non excuſet in delictis voluntas mandantis, deinde, quod neque princeps teneatur dolo aut culpa ſuorum officialium.

Tit. XXVIII.

(pr. *maleficio*). Clarius: contractus ſupponunt conſenſum verum, ſive is expreſſus ſit, ſive tacitus, ſed quaſi contractus ſupponunt conſenſum aut voluntatem praeſumtam, quam vel lex praeſumit, vel homo. Prodit in eo Pufendorffius, quam jejunus fuerit in juris prudentia noſtra, quoniam quaſi contractum definit per tacitum conſenſum.

§. 1.

§. 1.

(*utilitatis*). Atque haec utilitas est omnino indoneum fundamentum ad obligandum ex principiis juris naturalis & sana ratione. Quapropter in transversum notus est Grotius, qui negotiorum gestionem expunxit ex systemate juris naturalis. Secuti sunt hanc doctrinam Sueci adversus regem Prussiae in sequestro Stetinensi, quorum rationes jussu regis confutavimus in *opuscula*, quod habetur inter *Opuscula oratoria*.

(*tutelae judicio*). Nam ipsa tutela in jure naturae aliud fundamentum non habet, quam negotiorum gestionem. Licet enim pupilli corpore adsint, animo tamen abesse intelliguntur ob deficientem rationis usum. Sed hoc circulo opus non est in juris prudentia nostra, ubi praesumtio stabilita est ex lege.

§. 3.

(*sine societate*). Nam societas requirit verum consensum, adeoque non opus est obligatione ex quasi contractu. Interim haud dubie in effectu conveniunt. In I. G. pariter nihil est novi, quod pluribus eadem res sit communis, non solum uti in I. R. ad tempus, sed jure aeternum obligotorio, quorsum pertinent *die gemeinschaftlichen Gerichte* Trefurti & alibi, & pagi plures in Sueviae & Franconiae regionibus, ubi formula, *das Dorf sey gemeinschaftlich*.

§. 4.

§. 4.

(*familiae*). Familiae nomen generale est, adeoque complectitur rerum omnium universitatem, id quod etiam in l. G. saepe solet evenire, *dass die Gesamt-Erbschaft bey denen Gesamt-Erben ungetheilt verbleibe.* Vocabulum autem *gemeinschaftlich* in l. G. pariter respicit rem singularem, e. gr. aedium, fundi.

§. 5.

(*maleficio*). Frustra Tribonianus haec recoquit toties. Nam plura obligationum genera sunt, quae non ex maleficio proveniunt, & tamen non sunt ex voluntate praesumta, quoniam lex obligat, qua standum est in societate civili.

(*contractu*). Uti dixi, fundamentum est praesumtio & rationis & legis, atque talis quidem, quae non admittit contrariam probationem.

§. 7.

(*lis crescit*). In l. G. lis nunquam crescit, adeoque indebiti restitutio numquam non fieri debet, quod etiam sanae rationi concinnum. Praxis autem satis est ambigua, quod in diversa hic eant jus R. & G.

Tit. XXVIIII.

(pr. *per alios*). Sed non opus est hac admonitione, quoniam id jam factum *lib. II. tit. 9.* ut adeo aliquid hic addere velle, illud superfluum prosus. Nam per quas personas adquiritur, per illas etiam, obligatur altera pars.

Tit. XXX.

(pr. *debetur*). In I. G. illud admodum est singulare atque diversum a I. R. quod in omni debito non solum summa solvi debeat conventa, sed & usurae. Quapropter summa soluta & retineri potest cherographum, & ipsum pignus, licet in I. R. opus sit usurarum singulari stipulatione. Ceterum in I. G. forensi, in medio praesertim aevo, omnes usurae damnatae, sed loco illarum alia nomina efficta, scil. interesse lucri cessantis, vel emtio censuum; unde tanta censitarum in I. G. multitudo.

§. 1.

(*aliis verbis*). In I. G. his schematibus & formulis opus non est, quoniam in eo juris prudentia nostra differt a Romana, quod omnis consensus obliget, ergo etiam omnis consensus possit obligationem tollere. Igitur formulis utimur, *ich bin vergnügt, die Schuld-*

Post

Post ist getilget; immo non solum verbis, sed etiam factis liberamus debitores, cancellatione chirographi, expunctione aut dispunctione nominis in matricula debitorum.

§. 2.

(*Aquilliana appellatur*). Vix ignoscendum est aliquibus ICtis, quod in I. G. atque in ejus simplicitate huic stipulationi aurem praebeant, quum satis superque formula sit, *er habe nichts weiter an den Cajus, es möge Namen haben, wie es wolle, zu fordern.* Interim si aliquis imitatione stipulationis Aquillianae omnes casus exprimere velit, magis implicat, quam explicat negotium, quoniam facile evenire potest, quod enumeratione omnium partium aliquam emiserit. Hinc memini formulae in juris prudentia R. ubi longe plurium enumeratio facta est, quam in Aquilliana. Quam formulam dicere solent obligationem camaralem in curia Romana, de qua Silvester Zachias singularem librum scripsit in folio editum.

§. 3.

(*novandi animo*). Hoc inprimis observandum est in forensi etiam praxi hodierna, quod haec lex plurimis tricis finem fecerit. Ut adeo 1) novatio non praesumatur, 2) ex multiplici fundamento ac modo fieri possit

obligatus. Interim creditor cautius agit, si sibi priora jura reservet, *er wolle zwar die Hypothek-Verschreibung angenommen, sich aber auch das vorherverschriebene Wechsel-Recht vorbehalten haben.*

§. 4.

(*consensu*). Sed in I. G. omnes obligationes consensuales sunt, ergo etiam consensu omnia debita exstinguuntur.

LIBER IIII.

Tit. I.

(pr. *ex maleficio*). In I. G. omnia fere maleficia punita fuerunt mulcta, pauciſſima ultimo ſupplicio, ut pote *die ſogenannte 4 Fraiſch-Fälle, Raub, Mord, Brand- und Nothzucht*, quibus addere liceat delicta in rem publicam redundantia, rebellio, proditio, veneficium, magia. Quodſi igitur juris prudentia criminalis Carolina ex I. G. concepta eſſet, non tot ſupplicia numeraret, quae potius ſanguine tincta ſunt Latii. Quid in jure naturae liceat vel minus circa ultimum ſupplicium, illud hujus loci non eſt. Sed tamen ſi delictorum poena ex quaſi conſenſu hominum in ſocietate civili derivari debeat, facile intelligitur, obligationem hanc fundamento

mento carere genuino, quia nemo est arbiter vitae suae, propterea etiam primi Christiani omnia supplicia sublata voluerunt e re publica.

(*unius generis*). Est in I. G maxima hic differentia. Nam Romani distinxerunt inter delicta privata & crimina publica, in primis pars tantum laesa, in ultimis ipsa res publica vindicias exercuerat. Quod contra se habet in I. G. ubi omnia delicta privata, licet pars laesa vel accusare, vel deferre nolit, a judice vindicantur vel accusando, vel inquirendo.

§. 2.

(*a furto*). In I. G. dicimus *Deuben oder Diebstähle*. Interim tamen in lingua Latina rectius a ferendo derivatur, unde etiam in I. G. paroemiis dicimus, *er hat klebrige Hände*; *er heisset gern was mitgehen*.

§. 3.

(*manifestum*). Quamvis etiam in I. G. Carolina mentionem faciat *der Diebe, die auf frischer That ertappet oder beschrien worden*, parum tamen curari solet hoc discrimen ratione poenae. Immo manifestus fur multoties immineri culpa, quam nec manifestus, quoniam in arte furandi illum parum adhuc profeciſſe existimandum est.

§. 4

§. 4.

(*desuetudinem*). In I. G. etiam nunc in observantia sunt manentque ideo secundum paroemiam, *der Hehler sey so gut, als der Stehler.* Sed in I. R. valde ambiguum fuerat, num in furto oblato aut concepto restitutioni locus in duplum. Novissime rex Prussiae disposuit, quod in tales receptores, *die dergleichen Diebes-Herberg haben, oder dieselben hegen, gleich denen Dieben selbst mit dem Strang bestrafet werden sollen*, nisi caupones ejus modi probent metum, quare noluerint rem denunciare, quod hodie opus est ex edicto regali, *dass die Wirthe und Schenken, besonders auf dem Lande, sobald sich verdächtige Personen bey ihnen einfinden, solches der Obrigkeit anzeigen sollen, damit dieselbigen zur Haft gebracht werden mögen.*

(*observationem*). Contentiosa lis est, qualis ritus fuerit per lancem & licium inquirere rem furtivam. Mea opinione opus fuerat his signis, quoniam in I. R. aedes non intrare licuerat alienas. Deinde cavenda etiam erat muliebris verecundia in gynaeceis cuique patri familias propriis. Quod omne in I. R. *da die Haussuchungen gerichtlich geschehen*, cessat.

§. 5.

(*quadraplici*). In I. G. uti omnes actiones in duplum aut triplum cessant, sic etiam fur ex duplici caussa obligatur, 1) quod deliquerit, 2) quod nocuerit alteri: ibi poena, hic resarcitio damni necessaria, adeoque ultimo remisso nihilo minus manet primum. Ceterum problema est insigne, an non hodie consultius esset, restitutionem dupli aut quadrupli introducere, aut potius ex veteri jure reducere in usum. Nam ita furtum saepius passus diteſcere poterat, & fieri quandoque opulentissimus.

§. 9.

(*hominum*). In I. G. plagia ejus generis cessant propter sublatas servitutes; immo hodie liberorum ea est copia, ut nemo illos appetat, nisi quod fabulae sint de Judaeis pridem explosae, & casum rarissimum ante biennium respondimus in *Halensibus diurnis*, ubi etiam vota concepimus pro institutione *der in andern Ländern üblichen Findel-Häuser* ad cavenda infanticidia.

§. 11.

(*scalas*). In I. G. potissimum respici solet secundum Carolinam ad qualitatem circumstantiarum, *ob der Dieb eingebrochen, oder gestiegen, oder der andere darzu geholfen.* Quo casu requiri solet, quid sentiendum sit, si paries parum

parum firmus fuerit, deinde ſi tectum ſtramine. Interim in I. G. debemus ea in re cautiores eſſe in decidendo, quum hic non de reſtitutione agatur, ſed de ultimo ſupplicio, quae poena omnino pro gradu malitiae eſt temperanda.

§. 12.

(*naſcitur*). Supponendi ſcilicet, quod nihil proprii habeant, quod poſſint reſtituere. In I. G. alia longe eſt ratio, quoniam hic non de reſtitutione, ſed potius de irrogatione poenae ſermo eſt, ad quam trahi etiam ſolent famuli, immo ipſi liberi, licet ideo cum ultimis mitius ſit agendum, ne poenam ſentiant parentes furtum paſſi.

§. 15.

(*fullo*). Omnia haec in I. G. ſe habent ex adverſo, quoniam accuſatorius proceſſus nemini ſuadendus, quum ſatis ſit denuntiatio judici facta ad inquirendum.

§. 16.

(*deciſionibus*). Hac emendatione in I. G. opus non eſt, quoniam ceſſat lucrum reſtitutionis in duplo aut quadruplo.

§. 18

(*proximus*). In I. G. hoc aliter ſe habet; quum enim hic non de reſtitutione agatur,

ſed de ultimo ſupplicio, igitur poena temperari debet, neque irrogari ei, penes quem tantus malitiae gradus non invenitur ob lubricum animi judicium.

§. 19.

(*forti actio*). Poenam judicis eſſe, non partium, ſaepius dictum. Hodie etiam conſultum magis eſt, furem denuntiare, quam accuſare, ob differentiam I. G. ſaepius allegatam. Quapropter etiam in I. G. multum intereſt, *ob es ſein erſter Diebſtahl, oder ob er ſchon mehr geſtohlen, und darüber dreymal bereits betreten worden*, quo caſu poena obtinet ordinaria.

Tit. II.

(pr. *praetor*). Praetor introduxit parum quidem conſulta ratione, quoniam poena, quae gravior eſſe debuerat, quam in furto, lenior hic facta eſt, quod vix adſequi licet conjecturis, quo conſilio hoc factum. In I. G. igitur haec poena nequidquam attenditur in *art.* 126. *Carolinae*, potius qui rapit, praeſertim in viis publicis, ille ultimo ſupplicio affici ſolet cum impoſitione cadaveris in rotam, etiamſi res minimi pretii rapta fuerit, atque in I. G. noſtro inſignem utilitatem praeſtitit rei publicae noſtrae; nam ex eo tempore viae ſecu-

ſecurae ſunt, quae olim fuerant maximopere periculoſae.

§. 1.

(*dominio cadere*). In praxi juris Germanici propterea dubitatur, quoniam, ſi quid dolo hic factum, illud a judice puniri debeat, & mulcta ſit judicis, nilque redundet in partem, niſi reparatio damni.

Tit. III.

(pr. *legem*). Potius plebisſcitum dicendum eſt. Interim in I. G. nequidquam eſt receptum, leges denominare ab illis, qui earum verba conceperunt.

(*eo anno*). In praxi admodum diſputari ſolet, utrum aeſtimatio hac ratione in I. G. ſit facienda? Plurimi affirmant; ſed minor eſt eorum numerus, qui hoc negant. Ego putaverim ultimis eſſe accedendum, quoniam poenae loco eſt, quod ultra verum pretium res vel occiſa, vel corrupta ſolvi debeat: ſed poena, uti multoties dictum, judici cedit, non partibus.

§. 1.

(*ſuibus*). Eſt certe hoc ineptiſſimum, 1) quod provocetur ad Homeri auctoritatem, 2) quod a loco, ad quem Homerus reſpicit, ad Latium concludatur. In I. G. praeſertim Boico,

Boico, nullum dubium est, quod sues quoque gregatim pascantur. Immo greges eorum reliquas pecudes vincunt multis numeris, proptereaque illa regio audit porcomannia.

§. 6.

(*medicus*). Nam in I. R. chirurgus etiam medicus audit. Quae artes in I. G. admodum distinctae; interim haec distinctio etiam propterea adhibetur, quoniam plures medici admodum imperiti sibi arrogant curam. Ideo in jure Prussico cautum est, & collegio medico demum datum, *dass niemand bey hoher Strafe Arzneyen austheilen solle, als derjenige, welcher seinen Cursum medicum nebst dem Examine in Collegio medico absolvirt, und vor tüchtig befunden worden.*

§. 12.

(*in usu*). Multa lis esse solet inter interpretes, quodnam caput hoc habuerit argumentum. Admodum probabile est, de servo corrupto actum fuisse; sed, quidquid sit, neque hujus in I. G. esset aliqua utilitas, quamvis corruptio liberorum & servorum poenam omnino mereatur admodum gravem.

§. 15.

(*plurimi*). In I. G. illud quoque attendi solet in aestimatione damni, ut respiciatur *auf den Zuwachs eines Pferdes oder Viehes.*

§. 16.

§. 16.

(*alio modo*). Est historia satis lepida, quod Tabor IC. a Mecklenburgico duce consultus, quo genere actionis convenire debeat Sueciae regem, qui in transitu militari provinciae suae multa intulerit damna, atque in responso suo commendavisse duci actionem legis Aquilliae.

Tit. IIII.

(pr. *non jure fit*). In I. G. habemus vocabula significantiora, *Läſterungen*, *Schmähungen*, *Ehrenſchänderey*, cet. ut adeo inter injuriam & contumeliam magna sit differentia.

§. 1.

(*committitur*). In I. G. hodie, postquam edicta adversus duella exstant, injuriae non, uti in I. R. delicta privata sunt, sed publica, adeoque prudentius agit injuriatus, si sibi factam injuriam denuntiet.

(*scripserit*). In I. G. haec injuria propterea acerbior esse solet, quoniam hodie post artem typographicam inventam permanere solet scriptura publica; in qua causa nuper respondimus.

§. 2.

(*patitur*). In I. R. injuriatus ex injuria sibi facta nullum damnum habet, nisi laesio accessi-

acceſſerit: ſed in I. G. in iniuriatum redundat infamia; inde paroemiae, *es ſey ein geſchändeter Mann; er habe vieles auf ſich ſitzen.* Cauſſa plerosque ICtos latet, eſt autem haec, quod olim in I. G. injuritatus potuerit injuriam ſibi factam vindicare armis: quo omiſſo, ſuſpectum ſe reddidit injuriatus veritatis aut pectoris timidi. Utrumque habuerunt infamiae inſtar Germani. Sed hodie, poſtquam duella prohibita ſunt, valde iniquum eſſe ſolet, injuriatum habere pro infami aut levis notae macula polluto. In I. G. etiam haberi ſolent peculiaria tribunalia aeſtimandae injuriae.

§. 3.

(*domino*). Licet hodie hoc ſenſu ſervos non habeamus, interim tamen in I. G. illud introductum eſt, quod etiam famuli injuriam, cui patrocinium debeo, poſſim vindicare, praeſertim ſi famulus injuriatus ſit in peragendo domini mandato.

§. 7.

(*injuriarum*). In I. G. haec poena in immenſum crevit, quod omnino mirandum eſt & obſtupeſcendum. Quodſi enim quis alterum verbali injuria adfecerit, aliquot annorum cuſtodiae poenae locus eſt. Immo ſi quis provocaverit alterum ad duellum, comparue-

parueritque alter, ultimum ſupplicium utrique ſolet irrogari. Excuſare ſolent hanc atrocitatem poenarum, quod duella noxia rei publicae aliter non potuerint tolli, immo ipſa Gallia praeiverit nobis hac poenarum acerbitate. Mira ſane metamorphoſis & converſio jurium patriae.

§. 9.

(*ex loco*). In I. G. ideo ſollemne eſt *das Friede-Würken*, *der Gottes-Haus-Friede*, *oder Burg-Friede*, quibus in locis ob reverentiam Numinis aut principis etiam duella injuriae capitales fuerant olim.

§. 10.

(*civiliter*). In I. G. per conſtitutionem regis Pruſſiae actiones aeſtimatoriae prorſus ſublatae ſunt, in aliis tamen locis hodieque ſunt in uſu.

§. 12.

(*aboletur*). In I. G. hoc ceſſat, poſtquam injuria converſa eſt in crimen publicum. Interim in eo ſibi parum conſtant interpretes, num omnis injuria ſpatio unius anni praeſcribatur. Negant hoc plerique in actione aeſtimatoria, ceu a praetore introducta, injurias poſt annum poſſe vindicari. Ego ex I. G. docui in *Halenſibus diurnis*, quod praeſcriptio annalis locum habeat, ſive civiliter agatur, ſive criminaliter.

Tit. V.

(rubr. *quasi ex delicto*). Quemadmodum ex quasi contractu ob consensum praesumtum obligamur, sic etiam ex quasi delicto ob imputationem facti alieni. In caussa sacrorum huc quidam referre volunt lapsum Adami, quo nos posteri tenemur: sed haec philosophia est altioris indaginis. Illud tamen verum est, quod in I. G. hic titulus nobis sufficiat, ut opus non sit confugere ad legem Aquilliam.

(pr. *litem suam*). Haec formula loquendi non exprimit rem; clarius ergo, *si judex ex ignorantia male judicaverit.* Nam si partium studio fuerit corruptus tum ex vero delicto tenetur. Interim convenit hoc factum cum §. 7. *Inst. de lege Aquil.* ubi de imperitia medici fuerat actum. In I. G. putant hoc ipsum plane cessare, quoniam sit tanta juris in Germania multiplicis incertitudo, deinve tot remedia indulta adversus sententias imperite latas. Et sane usus forensis satis docet, quod sententiae totuplices, quotuplices fere judices sint. Interim in I. G. praesertim illud incumbit vasallis jurisdictione investitis, ut justitiarios habeant idoneos, & jura doctos. Qua in re, quod nuper decidimus, si decesserint, vel jurisdictione propter abusum destituuntur, vel condemnantur in gravem mulctam.

§. 1.

§. 1.

(*caenaculo*). In I. G. hoc valde dubium eſt, quoniam ratio ceſſat juris Romani. Nam Romae in plerisque vicis ac viis aedes fuerant, quas inhabitaverant quandoque centum & plures conductores, quapropter difficile fuerat convenire eum, qui dejecerit aliquid aut effuderit. Quum vero in Germania noſtra pauciſſimae urbes ſint tot incolarum, igitur plerique putant, in I. G. ſufficere, ſi locator aedium nominaverit deiicientem.

(*occiſum*). In I. G. hoc etiam olim factum: ſed hodie vitam hominis aeſtimare, quum homo non ſit in commercio, videbatur a tramite juſtitiae aberrare. Interim ſatisfaciendum eſt illis, qui damnum ex morte occiſi ſenſerunt.

(*filiusfamiliar*). In I. G. hoc non facile ſolet evenire, quoniam filii, ex quo peculiarem oeconomiam colunt, habentur pro emancipatis.

§. 3.

(*exercitor*). Hoc quidem in I. G. eſt etiam admodum familiare, ſed tamen differt in eo, quod in I. R. caupones male audiant, in I. G. hoc fieri ſoleat ex adverſo. Deinde, quod cauponaria exerceatur publica quaſi auctoritate, quod dicere ſolemus *das Tabernen-Recht*, ubi dominus territorii, non autem dominus juris dictionis, de quo valde diſputatur, alteri

indulget jus *einen öffentlichen Schild zur Beherbergung auszuhängen.* Ceterum hodie in I. G. eadem etiam securitas debetur in postis aut celerum praefecturis.

Tit. VI.

(pr. *jur persequendi*). Sed haec definitio parum est genuina, quoniam in I. R non sufficit jus suum persequi, sed potius formula requiritur conceptis verbis recitanda, a qua si aberraveris latum unguem, sequitur sententia, *dass die Klage, inmassen sie angebracht, keine statt habe.* In I. G. pariter hic esse solemus magis superstitiosi, quam rei necessitas requirit. Sed excusare solent hanc superstitionem, quod ipsa etiam theologia colatur a nobis formularia. Meo consilio rectius fieri solet, si non solum actionis genus reiiciatur, sed & actori suggeratur, quodnam genus actionis instituere debeat.

§. 1.

(*arbitrosve*). In I. G. praesertim arbitraria judicia a necessariis prorsus differunt, sed in I. G. veteri maximopere in usu fuerant, atque ipse Apostolus consultor est, *nicht vor Gericht zu treten, sondern durch Vergleich die Streitigkeiten auszumachen.* Novissimum hujus anni institutum est regis Prussiae, *dass von nun an zu Verhütung der ordentlichen Processe unter den Partheyen die Güte zu suchen, und die Sache durch*

durch einen Vergleich zu heben, worzu denn bey allen Regierungen gewiſſe Räthe authoriſiret worden.

(*quacumque re*). In I. G. equidem illud verum eſt, quod cauſſae ceſſent, ob quas in I. R. proditae ſunt formulae actionum. Nam praetor non ipſe judicaverat, ſed per judices pedaneos, quibus formulam praeſcripſerat; ſed in I. G. ipſe praetor ſententiam fert, adeoque parti agenti poteſt ipſe ea in re ſubvenire, neque pars rea facile liberatur a litis conteſtatione per exceptionem non nominatae actionis.

(*ſuam eſſe*). De vindicatoria agit imperator, atque haec in I. G. etiam dari ſolet vaſallo & emphyteutae, licet dominium ſit dimidiatum.

§. 2.

(*utendi fruendi*). Breviter agit hic imperator de confeſſoria & negatoria. In I. G. extendimus has quoque actiones ad onera quaeque fundis alienis inhaerentia, immo ad regalia ipſa. Unde facile patet, quod in I. G. ſervitus etiam in faciendo conſiſtat, quod in I. R. ſupra negatum fuerat.

§. 3.

(*praetor*). De actionibus praetoriis hic agit imperator. Licet vero in I. G. praetoria nulla jura ſint, quum judicis officium non ſit

leges ferre, aut condere jura: interim tamen post receptum jus Romanum etiam in I. G. his discriminibus inhaeremus, ut actiones hae praetoriae sint annales; quamvis re vera ex caussis satis ridiculis, quoniam ejus modi negotia in foris Germaniae tractata sunt sine ulla praetoris interventione.

§. 4.

(*Publiciana*). Sed in I. G. sine hoc nomine praetorio pariter in judicium deduci potuit, quisnam firmiori jure possederit.

§. 5.

(*abesset.*) De actione rescissoria hic sermo est. Et praesertim in I. G. hoc saepius solet evenire, quoniam legationes principum assiduae sunt, quae in I. R. non fuerant in usu. Interim quid opus est absenti subvenire auxilio praetoris, quum satis cognitum sit, quod absens impediatur agere.

§. 6.

(*in fraudem*). Actione Paulliana hodieque utimur etiam in foris Germ. Sed quum satis pateat aequitas, in fraudem creditorum nihil fieri posse, licet praetor hoc non dixerit; igitur in I. G. neque auxilio opus fuerit praetoris.

§. 7.

(*Serviana*). Hoc quidem est mere positivum, quod locator aliis creditoribus praeferatur,

tur, adeoque optima ratione sequimur hic I. R. quamvis in I. G. multoties addi soleat formula: *bey Verpfändung des Meinigen.*

§. 8.

(*constituta*). In I. G. iterum non opus est his schematibus, neque receptitia actionum ratio est haec, quoniam simplex promissio obligat jure ordinario, adeoque opus non habet aliquo privilegio.

§ 10.

(*peculiotenus*). In I. G. talia peculia non occurrunt; nam pater in omnibus peculiis filio propriis tenetur ex persona filii, & potest de illis disponere, si ei non obfuerit minor aetas.

§. 11.

(*juraverit*). In I. G. valde dubitatur, an in jurejurando delato, si illud praestitum fuerit, contraria probatio locum habeat? Quod omnino negandum, quamvis periurii convictus mereatur poenam, pars enim deferendo jusjurandum transegit.

§. 12.

(*albo*). In I. G. potius de nigro corrupto dicere possemus. Utiliter enim haec actio datur, si quis laeserit sigillum vel principis, vel judicis.

(*vocasset*). In I. G. hoc cessat, quoniam vocationes fiunt publica auctoritate. Interim

in libellis formulae hodieque ita concipi solent, *daſs es ihm leid wäre, wieder ſeinen Vater, Leben-Herrn*, cet. *klagbar zu werden.*

(*exemerit*). In I. G. poena gravior est, quoniam citatio sive verbalis, sive realis, fieri solet a judice, non a parte.

§. 13.

(*praejudiciales*). In. I. G. non tantum trium statuum habetur hic ratio, sed etiam plurium aliorum, si quis mentitur nomen, gentilitatem, aetatem, munera, cet.

(*agnoscendo*). In I. G. illud grave est, quod plures teneantur ad agnoscendum partum, qui in I. R. ob suspicionem scorti vulgaris non tenerentur. Interim vix reperies infantem sine parente in matriculis ecclesiae.

§. 14.

(*odio furum*). In I. G. non opus est hac distinctione, quoniam alia actio non reperitur. Nam actione furti experiri velle, illud in I. G. non conceditur,

§. 17.

(*rei persequendae*). In I. G. omnes poenales cessare, saepius dictum. Quod enim in depositio miserabili atque aliis delictis restitutio requiratur dupli, illud judici relinquendum istar mulctae, nequidquam partibus.

§. 18.

§. 18.

(*ex maleficiis*). Saepius iterumque dictum, quod in I. G. his actionibus nullus locus sit, quoniam poena judicis est, neque cadit in actionem partis.

§. 20.

(*mixtam causſam*). Quoniam respiciunt rem & personam. In I. G. hodieque has formulas observamus, quoniam utraque pars potest esse actor aut reus. Ut adeo cesset hic discrimen inter directas & utiles.

§. 21.

(*simplum*). I. G. ceu multoties dictum, sunt omnes actiones in simplum, nullae in duplum. Magna de ea re lis fuerat inter Bergerum & Thomasium. Sed ratio decidendi meo judicio clara est; quoniam actor recipit, quod suum est; si quid redundat, illud poenae loco censendum: sed poenae omnes cedunt judici.

(*majorem*). In I. G. haec poena pariter cessat, quamvis addere soleant advocati clausulam: salvo errore calculi. Interim injuriarum agere potest reus, si ab actore de majori summa conveniatur, quam debet. Casum nuper habuimus, ubi mercator conventus est *auf einen Wechsel von* 20000 *Rthlr. davon bereits* 10000 *bezahlet waren*, respondimus, dolum abfuisse, adeoque cessare poenam. Interim

consultum est, addere formulam, *was er nicht mit Quitung belegen könne.*

§. 28.

(*bonae fidei*). Est haec distinctio inter interpretes sine ullo lumine rationis. Nam putant, discendam esse classem ab imperatore hic recensitam, atque mera voluntate legislatoris adquiescendum. Deinde actiones b. f. etiam definiri solent, ubi judici est arbitrium. Quod cessat in actionibus stricti juris. Meo judicio res haec facilis est, atque in l. G. optimo lumine colluſtranda. Ubi enim emimus, conduximus *auf Treu und Glauben*, ibi judex ex aequitate decidere debet, addendo aut subtrahendo: contra, ubi conventio vel litteris est descripta, vel stipulationibus, ibi judici manus ligatae sunt, adeoque stricte tum inhaerendum formulis conceptis, nam pars provocat, *er habe seinen Pacht-Brief vor sich, dieser müsse sie entscheiden, der Richter könnte hierbey nichts thun.*

§. 29.

(*pleniorem*). Nam uxoria actio sine stipulatione aut litteraria conventione est bonae fidei; quodsi vero ultimae accesserint, fieri solet haec actio stricti juris, e. gr. *ob dem Eheweibe ihre Illata in statu, an vero in ampliatione, wie sie eingebracht worden; zu restituiren.*

§. 30

§. 30.

(*compensatio*). Jure meritoque corrigit Marcum imperator ratione ab ipso prodita.

§. 31.

(*arbitrio*). Omnes b. f. actiones sunt arbitrariae, sed non omnes arbitrariae possunt esse b. f. quoniam arbitrio saepius opus est in delictis aut quasi delictis, ubi cessat b. f.

§. 32.

(*possibile*). In I. R. fere in oblivionem abiit, sententias posse ita concipi ac dimidiari, ut utrique aliquid assignetur. Sed ex ipsis legibus ostendimus in nostris *Diurnis vom Schnitter-Urthel*, quod fuerint ejus modi sententiae in usu. In I. G. eo minus est disputandum, sed tamen praxis est rarissima.

§. 33.

(*caussa cadebat*). Hoc in I. G. non fit; nam si dolo agat pars, tunc punitur a judice. Interim manet alteri exceptio pluris petitionis libera.

§. 34.

(*sine periculo*). In praxi tamen ambigi solet, utrum judex ex officio possit hoc supplere, si pars ea in re erret. Alias enim instar axiomatis haberi solet, quod sententia conformis esse debeat libello.

§. 35.

(*corrigere*). Sed tamen in I. G. propterea guaranda opus est de non deferenda lite, atque ideo poena statuta in civilibus *Zwey*, & in criminalibus *zwölf Schock*, uti suggerit *das Land-Recht*, *lib. III. art. 15.* In praxi tantum modo opus est restitutione expensarum, nisi in sententia prioris actionis impensae fuerint compensatae.

§. 36.

(*in peculium*). Quum peculia in I. R. definita, in I. G. cessent, igitur illud tantum in I. G. quaeritur, utrum salaria militum, ministrorum, ac famulorum, praesertim ratione futuri, impeti possint agendo. In plerisque statutis hoc negatum, ne milites aut ministri ministeriis suis aut officiis militaribus non sufficiant salarii detractione.

§. 37.

(*facultates*). Est hoc beneficium competentiae, quo etiam nunc in I. G. uti solemus apud vasallos, immo ipsos principes in aeris alieni nimietate.

Tit. VII.

(pr. *jussu domini*). In I. G. servi cessant, sed tamen illud remanet, quod mandans teneatur facto mandatarii. Igitur nuper respondimus, dominum teneri *in demjenigen*, *was das*

das Geſinde im Kramladen oder ſonſten ausgenommen; dum modo conſtet, quod dominus jusſerit, alias ſuo nomine hunc contractum exercere.

§. 2.

(*magiſtrum*). Licet in I. G. mediterranea loca colamus, & in rebus nauticis ſequamur leges Wisbyenſes, interim tamen ſana ratio ſuggerit, ut exercitoriae ſit locus.

(*praepoſuerit*). In I. G, huc referre ſolemus non ſolum *die Factors*, ſed etiam *die ausgelernte Diener*. De tironibus magna eſt dubitatio, quoniam in I. G. illis negotiari non licet; ſed negotiatoribus tantum modo ad manus eſſe. Quodſi tamen inſtitor eorum opera uſus fuerit alias, omnino actioni adverſus inſtitorem erit locus.

§. 4.

(*rem ejus*). Hac actione utimur hodieque frequenter, praeſertim in feudis, ubi quoad ſubſtantiam feudi creditor nihil alias juris habet, quum debitum non ſit feudale. Deinde etiam idem dici ſolet de uxoribus ratione illatorum, immo etiam de ipſis principibus mutuo pecuniam accipientibus.

§. 7.

(*poteſtate parentis*). In differentiis meis de contractu mutui cauſſas oſtendi, quare haec actio SC. hujus in I. G. raro reperiatur. Nam,

Nam, uti liberi, quamdiu in potestate patris manent, tamdiu sunt minorennes, adeoque nihil eis credi potest ob aetatis rationem: si vero majorennes fiunt, tum exeunt e patria potestate, adeoque locus non est SCto.

Tit. VIII.

(pr. *servorum*). In I. G. & servi, i. e. homines proprii, & famulae nostrae coveniuntur ex sua persona, nequidquam dominus tenetur illos sistere, adeoque in I. G. noxalium actionum nullus potest esse usus. Illud tamen huc quodam modo potest referri, quod legati principum si deliquerint: eorumdem domini conveniuntur, ut aut legatis poenam irrogare princeps debeat, aut legatos sistere laeso.

§. 7.

(*filium suum*). Casum huc quodam modo referre possumus, quem proxime respondimus, ubi pater invito filio mulctam solvit ob delictum a filio commissum. Patre mortuo coheredes a fratre requisiverunt, *dass er dasjenige, was für ihn, als er in Frankreich in der Bastille gesessen, bezahlet worden, conferiren solle.* Negavit filius conferre, quod se invito hoc factum sit, qui maluerit in custodia manere, quam ita diminui ejus patrimonium. Absolvimus filium.

Tit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0192
DFG

Tit. VIIII.

(pr. *animalium*). Idem praecipitur in I. G. *in dem Land-Recht, lib. II. art.* 40. Et haud dubie ſpeculator huc reſpexit. Interim alii putant, quod contrarium ſit cautum in *Carolina art.* 146. Sed errant, quoniam caſus ibi ſupponitur, ſi ipſe dominus ſit in culpa.

§. 1.

(*aedilitio*). In I. G. hoc inprimis eſt cautum, ne cuique privato liceat alere ejusmodi animalia noxia. Principibus hoc indulgetur, non privatis. Quapropter nuper aliquem condemnavimus, *der einen Bären gehalten, welcher ſich losgeriſſen und Schaden gethan.*

Tit. X.

(pr. *non poſſe*). Eſt hoc in I. R. ab omni ratione alienum, quod non licuerit agere per alienam perſonam, mandatarium. In I. G. habet ſe res ex adverſo, nam non ſolum admittuntur procuratores regulariter in omnibus cauſſis, exceptis matrimonialibus inprimis, ſed & in jure Pruſſico illud cautum, ne quis ageret in judicio, niſi per procuratorem, idve ſive litteris, ſive etiam verbis ſub poena non ſolum nullitatis, ſed etiam definito mulcto. Noviſſimum regis Pruſſiae inſtitutum eſt hoc, quod in cauſſarum proſcenio partes comparere debeant *zur Güte*, licet obſtrictae non ſint ad comparendum *zum Recht.*

§. 1.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0193
DFG

§. 1.

(*intelligitur*). In I. G. non satis est tacita aut praesumta voluntas, sed requiritur, 1) ut habeat procuratorium secundum formulam in lege praescriptam, & hoc fine typis expressam, 2) non quemlibet eligere licet, sed eum tantum, qui est in numero, porro 3) procurator non fit dominus litis, ut in I. R. sed pars ipsa tenetur, neque tamen si procurator injurius sit verbis, ideo absolvitur, *weil es die Parthey so habe haben wollen*, sed potius uterque tenetur, & mandans, & mandatarius.

Tit. XI.

(pr. *judicatum solvi*). Magna est hic iterum inter I. R. & Germanicum differentia. Nam in I. R. citationes factae fuerant a privatis, adeoque citatus rogando, ut differatur citatio, & comparitio satisdationem praestitit, *dass er fine mora über 8 Tage sich in denen Gerichten selbst sistiren wolle*. Sed in I. G. citatio fit auctoritate judices, quamvis etiam haec conventio sit admodum frequens, *dass sie den Termin auf 8 Tage aussetzen, und sodenn sine nova citatione erscheinen wollen*. Deinde citatio in I. G. fit de judicio sisti & judicatum solvi: ubi opus est, ut principio litis cautio pro reconventione & expensis fiat. In I. G. etiam definita est summa *von 24 alten Schocken*; sed in jure novissimo pro gravitate causae haec summa

ſumma vel augetur, vel etiam diminuitur. Eſt etiam ſingulare hoc in I. G. quod praeſtanda ſit guaranda de lite non derelinquenda.

§. 2.

(*aeſtimatione*). In I. G. haec ſatisdatio non eſt in uſu intuitu rei, niſi pars rea in ſuſpicione ſit vel fugae, vel etiam, *daß er dasjenige Stück*, worauf *geklaget* worden, *ab Handen kommen laſſen*, *oder deterioriren* werde.

§. 6.

(*quotidiano uſu*). In I. G. hodie ſequimur in proceſſu noviſſimum Receſſum imperii de a. 1654. & Ordinationem camaralem. Licet principes imperii in ſuis provinciis nulli dubitent ab hoc modo procedendi abire, ut adeo, quot provinciae in Germania ſunt, totuplices etiam *Gerichts-und Proceſs-Ordnungen*.

§. 7.

(*urbem*). In I. G. hoc aliter ſe habet. Nam quot ibi territoria, totuplicia etiam jura ſunt. Et licet rex Pruſſiae ante aliquot annos intenderit quoque omnia reducere ſub unam formam, regeſſerunt tamen ordines totuplicium provinciarum, hoc fieri non poſſe ſalva provinciarum libertate.

Tit.

Tit. XII.

(pr. *fines*). Inde auctores habemus, qui de praescriptionibus actionum egerunt singularibus libris. Inter veteres Eustathius nominari meretur; inter recentiores Mollerus, sed in I. G. illi termini praescriptionum vel desumti sunt ex I. R. vel, quod olim fuerat, praeter tricennariam praescriptionem alia nulla obtinuerat. In I R. actio 40. annos durat, si semel in judicium deducta: sed in I. G. rex Prussiae omnes actiones in judicium semel deductas praescripsit annuo spatio. Unde facile intelligitur, quam multiplex & volubilis sit legislatorum voluntas.

(*intra annum*). Est certe haec ratio valde inconcinna. Nam praetorum edicta nunc perpetua facta sunt, adeoque jure meritoque actiones etiam praetoriae esse deberent perpetuae. Sed tamen displicuit hoc imperatori. Si rationem stringentem dare volueris, erit forte haec, quoniam actiones praetoriae plerumque corrigunt jus civile, & jure civili indulgentiores sunt. Quae indulgentia igitur, ceu res odiosa breviori forte spatio est constricta. In I. G. hoc valde est ineptum, quod nuper docui in *Diurnis Halensibus* exemplo actionis injuriarum aestimatoriae.

Tit. XIII.

(pr. *iniqua*). In I. G. praesertim etiam illud inculcandum est judicibus, ne praecipitent sen-

sententiam, sed semper in animo circumferant illud: audiatur & altera pars. Interim in I. G. abusus est maximus mandatorum sine clausula, de quibus tamen infra agemus ad *tit 15. de interdict.* Hinc capitulatio Caesarea providet, *die Stände mit Mandatis sine clausula nicht zu übereilen, sondern* (loco exceptionis) *von ihnen Bericht zu erfordern.*

§. 1.

(*metus*). In I. R. exceptio metus varios effectus habet pro diversitate contractuum b. f. & stricti juris. In I. G. putant hanc differentiam cessare ideo, quoniam omnes conventiones sub clausula fiant, *treulich, sonder Gefährde.*

§. 3.

(*pacto convento*). In I. G. hoc se habet ex adverso; nam satis est, creditorem dixisse, *er verlange keine Zahlung, die Post wäre vergnügt.*

§. 4.

(*periurio*). In I. G. illud singulare est, quod jurejurando usi fuerint in judiciis maximopere; immo in quibusdam locis hodieque obtinent juramenta dandorum & respondendorum. Interim jurejurando delato a partibus,

si pejeraverit altera pars, perjurii quidem poenam incurrit, non tamen ideo perjurium alterius prodest alteri parti.

§. 5.

(*rei judicatae*). In I. G illud observavi, quod rei judicatae nulla fuerit auctoritas olim. Nam licet unus judex alteri adjudicaverit aliquid, hoc non obstitit, quo minus alius judex rem iterum in judicium deducere, & aliter pronuntiare posset.

§. 10.

(*dilatoriae*). In I. G. est omnino hoc singulare, quod principio opus sit semper litis contestatione eventuali, deinceps dilatoriae exceptiones omnes allegandae, neque ad omissas fieri queat recursus.

§. 11.

(*militibus*). Hoc provide cautum, ne procuratio militum judici & parti incutiat terrorem. Quamvis vero hodie, ubi procuratores in numero sunt, hoc evenire nequeat: tamen quandoque illud accidit nihilo minus, quod milites in se suscipiant causam.

(*infamiam*). Quapropter etiam in I. G, hoc cautum, quod nemo possit esse procurator

tor, nisi integrae famae & legitimorum natalium, uti Ordinatio cameralis hoc definite praecipit.

Tit. XIIII.

(pr. *replicatio*). In I. G. in aliquibus locis exceptione adquiescendum, & caussa tunc statim pro concluſa habenda. Sed minus recte hoc fit, facitque, ut processus retardetur pluribus sententiis interlocutoriis. Quapropter in I. G. novissimo replicae & duplicae admittuntur ordinario jure: quodsi tamen in duplicis nova reperiantur, ad triplicam & quadruplicam solet procedi, licet cautius tunc sit, rem hac formula salvare, *daſs der Judex auf die in duplicis angebrachte nova keine Reflexion zu nehmen, vielmehr ſolche ab Actis zu removiren.*

Tit. XV.

(pr. *interdictis*). Licet etiam in I. G. magna lis super possessorio esse soleat multoties; tamen interdicta in I. R. prodita locum in I. G. non habent. Nam 1) differunt nomine: in I. G. enim dicere solemus mandata, inhibitiones, decretum manutenentiae, 2) differunt intuitu judicis, nam in I. G. quilibet judex, dummodo caussa sit intra limites suae

jurisdictionis, ejus generis mandata edere & promulgare poteſt, in l. G. faciliores ſumus ad apprehendam poſſeſſionem.

§. 3.

(*quorum bonorum*). Quum in l. G. praetorio jure opus non ſit in ſuccedendo, igitur etiam fruſtra huc trahi ſolet haec ſpecies interdicti. Interim tamen in praxi eſt hoc notiſſimum, quod non praetoriis heredibus, ſed civilibus, ſoleant hoc interdictum ſuggerere.

§. 4.

(*uti poſſidetis*). Hac ſpecie interdictorum frequenter utimur in l. G. & ſolemus alio verbo uti, *ein decretum manutenentiae*, ubi formula conceptis verbis eſſe ſolet haec: *Titium bey dem Beſitz zu ſchützen, und Cajo bey 100 Goldgulden anzubefehlen, ſich gegen ihn auf keine Weiſe zu vergreifen.*

§. 5.

(*animo*). In l. G putant, quoniam poſſeſſio potius aliquid corporale requirat. Verum ratio ſatis eſt clara, quod per ſolum actum turbativum nequeam poſſeſſione mea deſtitui.

§. 6.

(*unde vi*). In l. G. appellare ſolemus *eine Spolienklage*, ubi utiliter eſt introductum, quod

quod ſpoliatus ante omnia debeat reſtitui, idque cum omni cauſſa. Licet ultimum propterea ſit iniquum, quoniam ſaepius circumſtantiae occurrunt, quae depoſſidentem liberant ab expenſis.

§. 7.

(*duplicia*). Supra jam dictum eſt, atque in §. 6. *de offic. judic.* infra dicetur, quod in ejus modi duplicibus interdictis utraque pars habilis ſit ad agendum, proptereaque facile ſolet evenire, quod interdicta ſaepius fiant contra interdicta, adeoque judex decernat contradictoria, ſi parum memor ſit eorum, quae damnaverat ante.

Tit. XVI.

(pr. *homines*). In Germania noſtra, ubi olim advocati exſulaverant, & proceſſus forenſes vel pauci, vel breviſſimi, hodie magna eſt prurigo litigantium: ut adeo rex Pruſſiae ſemel iterumque conſilia agitaverit, qua ratione tanta proceſſuum multitudo poſſet minui atque evitari. In *Halenſibus diurnis* omnia illa remedia miſimus ſub examen. Potiſſima autem cauſſa eſt haec, quod tot homines jura docti ſint, ut inde vivere velint, adeoque cogitandum omnino, ut materiam habeant ſe exercendi, & quaerendi inde victum. In

Suecia & Dania minores longe numeri sunt processuum, quoniam ibidem pauciſſimi homines ſtudent juri civili.

§. 1.

(*juſiurandum*). In I. G. hoc ceſſat, & ſtipulata manus eſt inſtar jurisjurandi, praeſertim in guaranda Interim in aliquibus Germaniae provinciis hodieque in uſu ſunt juramenta dandorum & reſpondendorum.

(*inficiantes*). In I. G. eſt peſſimus abuſus temere negantium, quae temeritas quandoque coërcere ſolet mulcta, numquam poena dupli.

(*advocati*). In I. G. hodieque advocati vel in numero ſunt, vel etiam promoti aut examinati, qui omnes jurejurando obſtringuntur de cauſſis non temere in judicium trahendis

§. 2.

(*ignominioſi*). In I. G. aliqui dubitant: nam exiſtimant, his caſibus locum eſſe mulctae, ſalva exiſtimatione & fama.

§. 3.

(*parentibus*). In I. G. hoc ceſſare, ſupra dictum, quoniam citatio non a partibus fit, neque fieri poteſt, ſed a judice

Tit.

Tit. XVII.

(pr. *officio*). In I. G. officiorum judicis longe alia ratio est. Licet enim in I. R. judicia commissa fuerint auctoritati unius aut alterius; contra tamen in I. G. judices semper habuerint secum assessores, *die so genannte Schöppen-Bänke oder Beysitzer*, ut adeo praetoris (*des Richters*) manus ligatae fuerint ad suffragia majoris partis scabinorum. Ipse imperator sic judicavit in comitiis, ut adeo nihil singulare esset, quod etiam principes in territoriis, atque ipsi praetores principum eumdem morem tenerent. Illud etiam in I. G. est singulare, quod judicia habeant nobiles atque etiam civitates jure patrimoniali, (*die Erb-Gerichte*), nam haec judicia hereditaria inferiorem seu bassam jurisdictionem respexerant, non superiorem, (*die Obergerichte über Hals und Hand*). Ubi tamen in I. G. illud in pessimos mores ivit, quod nobiles committant sua judicia auctoritati unius, (*ihres Gerichtshalters oder Justitiarii*), sed aliter in civitatibus, *da der Stadt-Richter allezeit Beysitzere um und neben sich haben muss*, idque sub poena nullitatis, praesertim in caussis criminalibus, ubi hodieque judex (*der Land-Richter*) secum habet assessores ruricolas ex infima plebe, neque ulla juris peritia instructos.

(*moribus*). In I. G propterea judices adstringi solent, *dass sie nach eines jeden Landes*

Sitten, und sodann denen gemeinen beschriebenen Kaiser-Rechten nachsprechen wollten. Olim, quum in I. G. pauciſſimae leges eſſent, adeo difficilius fuerat ſententiam ferre, unde nomen ſententiis venit *Verpfändung*, quo nomine hodieque utuntur plurimae civitates, e. gr. Hamburgum.

§. 2.

(*fructibus*). Hoc quidem in I. R. verum eſt, neque ratione caret, ſi alter ſit in mala fide. Sed in I. G. fructuum perceptorum mentio fieri non ſolet.

§. 5.

(*ſingulis*). Sed in I. G. in ejus modi re individua confugere ſolemus ad haſtam, quae eſt vel voluntaria, vel neceſſaria, ne alter teneatur invitus vivere in communione.

§. 6.

(*finium regundorum*). In I. G. praeſertim hodie omnes agri ac fundi definitas menſuras habent, *da in denen meiſten Provinzen alle Felder durchgehends ausgemeſſen, und in gewiſſe Charten gebracht worden.* In finibus autem regundis illud cavendum eſt, *daſs die Gränz-Beziehung nicht einſeitig vorgenommen* werde-

§. 7.

§. 7.

(*adjudicatum*). Loquitur imperator de sententia, quae in judicatum ivit post decendium, quamvis opus sit judicali, *daſs der Sachfällige gerichtlich exmittiret, und der obſiegende Theil immittiret* werde.

Tit. XVIII.

(pr. *per notiones*). Nam Romani accuſationes ab actionibus diſtinxerant. In I. R. quilibet ex populo ſuo pruritu poterat prodire in publicum, & accuſare unumquemque meritiſſimum de re publica virum & heroëm, quae inſolentia inter cauſſas non ultimas fuerat rei publicae Romanae peſſumdatae; ha, enim accuſationes metuerant Sulla, Caeſar, alii. In I. G. hic pruritus ceſſat, nam in ejus modi criminibus vel pars laeſa agit, idque vel ad poenam, vel ad reparationem damni; vel fiſci procurator vi ſibi demandati officii, cujus protervia ſolet a bono principe reprimi legibus ac poenis.

§. 1.

(*exſecutio*). Subſtitue: *accuſatio*, nam in I. R. receptus fuerat proceſſus accuſatorius, in I. G. autem ſequimur inquiſitorium, qui omnino reis eſt favorabilior.

§. 2.

(*publicorum*). In I. G. dicimus *peinliche Gerichte*, *Fraisch-Gerichte über Hals und Hand*, *über Haut und Haar*; atque haec denominatio desumta est ab objecto & fine; intuitu judicis autem dicimus *die Ober-Gerichte*, *die hohe Vogtheilichkeit*, *die obere Cent*.

(*capitalia*). Nam in I. R. capitis amissio eadem fuerat, quam status mutatio, vel amissio libertatis, civitatis, aut familiae. In I. G. referre solemus *zu denen peinlichen Gerichten* omnia ultima supplicia, fustigationem, carcerem perpetuum *Festung und Zuchthäuser*; aliae autem poenae leviores, *Halseisen*, *Gefängniss*, *Verweisung aus denen Gerichten* pertinent ad jurisdictionem inferiorem. Ceterum in I. G. poenae in I. R. definitae locum non habent, nam poena metalli, deportationis in insulam, immo crucis in honorem Salvatoris exsulat.

(*irrogant*). Interpretes I. R. plerumque allegare solent testimonium Livii, quod criminum poenae in re publica Rom. leviores ac leniores fuerint, quam in aliis rebus publicis, Sed respexit Livius ad tempora priora. Nam sub monarchico statu poenae tantopere exacerbatae sunt, ut contra dicere liceat, plerasque leges Latii sanguine tinctas esse. Contra autem in I. G veteri, pauciſſimis delictis exceptis, mulctae locus erat in graviſſimis etiam delictis, usque dum dirutatem Latii etiam in patria re publica introduceremus.

§. 3.

§. 3.

(*majestatis*). Est hoc in jure naturae etiam satis clarum, quod ille, qui principem laedit, mereatur poenam. Sed I. R. in eo differt a I. G. quod crimina majestatis fingat, quae ideo in I. G. non attenduntur. Deinde in I. G. principum singularis est potestas & superioritas territorialis, atque ipsi in societate imperii sunt, adeoque cum his in imputando hoc crimine cautius est agendum. Taceo, quod in ipsos principes territoriales ac comites principales committatur hoc crimen majestatis. Quod vero in *A. B* dicatur, hoc crimen committi in principes electores, illud quidem verum est, sed non opus est respicere hic ad imperatorem, quasi hujus consiliarii sint.

§ 4.

(*adulteriis*). Neque olim in I. R. ante tempora Constantini M. adulterii poena fuerat ultimum supplicium, neque in I. G. hodieque. Nam in plerisque locis vel mulcta in adulteros, aut adulteras statuta, vel exsilium. In Soxonia tantum ille rigor reperitur, praesertim quum etiam hoc quodam modo durum sit, ultimum supplicium in manus dare partis innocentis.

(*masculis*). In. I. G. hoc crimen ignotum est licet Sodomitica peccata in I. G. coërceantur igne.

(*stupri*)

(*ſtupri*). In I. G. ille rigor pariter reperitur, ſi quidem ſervus aut homo proprius maculaverit familiam hominis ingenui. Quapropter nuper ultimo ſupplicio damnavimus ſtupratorem filiae principis.

§. 5.

(*homicidas*). In I. G. eſt magna differentia *unter einem Todſchläger und Mörder*, nam homicidium punierunt Germani mulcta, i. e. ſi illud commiſſum fuerat ob intentatam tantum modo laeſionem, non vero cum intentione occidendi. Utinam diſcrimen hoc obſervaretur etiam nunc. Nam judices etiam illos dicere ſolent homicidas doloſos, qui tantum modo intenderunt laedere ſine animo occidendi, qui tamen praeſumendus eſt eo usque, quo usque non pateat contrarium.

(*ambulant*). In I. G. omnes nobiles togati & ſagati ambulant gladio accincti, quod in I. R. non fuerat licitum, de quo diſcrimine egimus in *Diurnis*, problemate *vom Degen-Tragen*.

(*ſuſurris magicis*). Olim in I. G. hoc crimen frequentiſſimum fuerat; ſed hodie his artibus per philoſophos exploſis, ceſſante credulitate ipſum etiam crimen evanuit, *ſo daſs wenig mehr von Hexen-Proceſſen zu hören*.

§. 6.

(*de parricidiis*). In I. G. rariſſima ſunt parricidia, immo fere inaudita, ſed eo frequentiora

tiora sunt infanticidia, quae parum cognita Romanis. Caussa discriminis est haec, quod patria potestas in I. G. non sit perpetua, & stupra in I. G. prohibita, quum in I. R. fornicationes essent fere impunes.

§. 7.

(*scripserit*). In I. G. etiam huc referri debet, si quis typos publicos mentitus fuerit, finxerit locum aut typographum alienum; illud enim prohibitum est in Recess. imp. Sed parum attenditur hodie, sub hoc quidem tegumento, quod discrimen sit inter falsum & crimen falsi & nihil interfit, sive liber prodierit sub hoc vel illo nomine, in hoc vel illo loco. Utinam vero in re litteraria rigor Recess. imp. observetur.

(*sculpserit*). In I. G. insignia gentilitia habemus, quae in R. I. non fuerant, propterea sculptoribus injunctum est, ne aliquod insigne sculpant, nisi ex auctoritate publica. Iisdem inculcari solet, *dass sie keine Stempel schneiden mögen.*

(*supplicium*). In I. G. pristino manus amputatio in usu fuerat; sed hodie minus consultum esse videtur rei publicae, truncare homines manibus.

§. 8

§. 8.

(*armata vis*). Docemus in jure publico pacem publicam, quae obſervatur inter privatos, quamvis etiam ſcripta ſit ipſis principibus. Interim in I. G. tolerantur pignorationes, quibus palliari ſolet vis publica.

(*raptus*). In I. G. praeſertim in aliquibus emporiis Hamburgi, & alibi, cautum, *daß wer eines Bürgers Tochter entführet, ob es ſchon mit derſelben guten Willen geſchehen, derſelbe mit dem Schwerd vom Leben zum Tode zu bringen.* Et, ſi rapta conſenſerit, deſtitui debet omni hereditate.

(*ſanctimoniales*). Inter Evangelicos ſanctimoniales exſulant, quum potius coenobia ejus modi talia ſint, ut ſemper ſit integrum virginibus, deſerere coenobium & caelibatum.

§. 9.

(*rem ſacram*). Inter Evangelicos quum neſciamus res ſacras igitur poena etiam ceſſare debet ſacrilegii. Sed glaucomate Carolinae etiam Evangelici ICti occupantur, ut ſacrilegum ad ignem condemnent, quod formulae fidei noſtrae eſt prorſus adverſum.

§. 10.

(*plagiariis*). In I. G. plagia ceſſant, nemo enim intendit furta hominum ſublata ſervitute.

vitute. Sed oppoſueris milites. Repono, legem Fabiam reſpicere ſervitutem.

§. 11.

(*ambitu*). In I. G. hoc non attenditur, poſtquam praeſertim civilia quaeque munera in multis provinciis venalia facta ſunt.

(*repetundarum*). Omnino hujus criminis major eſſe deberet poena, quoniam magiſtratus corruptus inter rei publicae peſtes refertur.

(*annona*). In I. G. praeſertim in illis provinciis, quae abundant omni genere frumentorum, hoc delictum ceſſat, quoniam in cujusvis arbitratu eſt, *das Korn aufzukaufen und aufzuſchütten, und auf einen beſſern Preiſs zu halten.*

(*reſiduis*). In I. G. hujus criminis poena major eſt, quam in I. R. quoniam leges paſſim hoc tenore latae ſunt, *daſs, wer ſich an herrſchaftlichen Geldern vergreiffet, ob er gleich das vergriffene ſofort reſtituiren kann, derſelbe dennoch wegen ſeiner Untreue mit dem Strange zu beſtrafen.* Summam etiam definiunt leges ſex florenorum.

(*diligentior*). In I. G. vix opus eſt, ut provocemus ad Pandectas, quoniam poenae delictorum admodum differunt a juribus Latii. Quapropter ICti in ſcholis criminalibus

pro

pro fundamento habent Caroli V. constitutionem criminalem. Sed tamen in illo systemate multa desiderari possunt, praesertim quod universa lex in comitiis quidem approbata, se non lata, verum descripta instar plagii ex ordinatione criminali vel Bambergensi, vel Onoldina, vel etiam vetustiori.

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0212
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0214
DFG

Antwort des Gläubigers dem
heißt acceptilatio.
ist, so ist selbst dem strengen
ner eine realis praestatio fo-
os Gesetz die obligatio aufgeho-
o sind also folgende wesent-
en:
actio, 2) eine solutio ima-
solutio. 3) Wird die obli-
oben und vernichtet *ipso jure*,
gen die ehemalige actio mehr
huld doch ausgeklagt werden
n modus tollendi ipso jure.
hl zu merken, nach römischem
endi obligationem verbalem.
bligationes vermittelst accep-
, so mußte immer vorher eine
urch eine stipulatio (Aqui-
nd erst hierauf eine acceptila-
ulatio an sich war ein modus
i obligationem.

accept.) fr. 7. §. 1. π. 34, 3.
. J. 3, (quibus mod.)
m. L. 5. C. 16. §. 5 — 9. Id. in
. Zanger de Exc. P. 3. C. 7. §.
Bd. 2. S. 422. et 427. War die
ngen, so entstand daraus nur Ex-
ceptilatio war alsdenn nur ein mo-
ept. fr. 19. π. 46. 4. (de acceptil.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1681194651/phys_0215
DFG